sem, votum esse solius religionis: & sic non militat hæc ratio. Fateor quidem hanc rationem non militare, ac militat hæc quod adhuc id votum minime sit ex religionis affectu, sed ea quasi exosa in pœnam eligatur. Posteriorem autem partem probat. Quia semel jam incursa pœna, & sic impleta conditione, obligatio ad religionem, vel castitatem, estomnino absoluta, & independens a futuro eventu. At in his votis absolutis nequit Episcopus dispensare. Et confirm. quia adveniente conditione non minus absolute ac independenter id votum obligat, quam si a principio absolute omnino emissum esset: ut constat ex *l Potior*, 11. *in fine principii*, *ff. qui in pignore potiores habeantur*, ibi: *Cum enim semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset*. Et ideo hanc sustinent *Sotus de convendo juram. abusu*, 1. *par. cap.* 9. & *lib.* 7. *de just. qu.* 2. *art.* 1. *ad* 4. & *q.* 4. *art.* 3. *col.* 5. *vers. Unum vero*, *Covar. cap. Quamvis pactum* 1. *p.* §. 3. *n.* 12. *de pactis*, *in* 6. *Alcozer cap. de ludo*, *cap.* 13. *concl.* 9. & *in sum. cap.* 16. *ad fi. Cordub. sum. q.* 152. *Angl. Flor.* 2. *p.* ubi de voto, *qu. un. art.* 8. *diff.* 10. *Guttier. qu. canonicis*, *l.* 2. *cap.* 22. *n.* 50. 51. & *n. ult. Man. in bulla Cruciata*, §. 9. *n.* 124. *dub.* 2. *quod movet circa votum religionis Azor lib.* 11. *inst. moral. cap.* 10. *q.* 3. & *cap.* 29. *qu.* 13. *Graffis* 1. *part. decisionum lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 3. *Llamas metodo curationis* 3. *part. cap.* 4. §. 40. Et ait esse probabilem *Philiarchus num. præced. allegatus*. Et videtur aperte hujus sententiæ *Navar. summa latina*, *cap.* 12. *n.* 43. *Hispana cap.* 28. *addit. ad num.* 42. *cap.* 12. nam cum permisisset in voto conditionali nequire Episcopum ante vel post impletam conditionem dispensare, subdit in voto pœnali posse ante impletam conditionem. Quare videtur censere secus esse post impletam.

8 III. Sententia (cui tanquam probabiliori adhæreo, quamvis duæ præcedentes sint satis probabiles) ait posse Episcopum dispensare ante & post impletam conditionem, & sic sive pœna nondum incursa sit, sive jam incursa sit. Ducitur, quod cum hæc reservatio odiosa sit, ac nimis restringenda (ut probavi disp. præc. n. 5.) vota hæc tunc reservata censeri debent, quando sunt simpliciter castitatis aut religionis. At vota pœnalia non sunt hujusmodi. Quia cum votum sit actus religionis, quo quis rem sibi gratam & acceptam offert Deo in ejus cultum, id simpliciter & absolute votum dicetur, quod ex affectu rei promissæ oritur. At in votis pœnalibus non oritur promissio castitatis, aut religionis, ex animo & affectu voventis, sed potius hæc sibi proponit tanquam odiosa, & in pœnam delicti. Ergo sive ante, sive post impletam conditionem poterit Episcopus dispensare. Et confirm. quia votum pœnale etiam impleta conditione, deficit valde a perfecta voti religionis & castitatis natura: ratione cujus perfectionis reservantur hæc vota, quod tunc vovens non eligat hæc, ut talia sunt, sed potius eorum timore & odio voluit deterreri, ne delictum admitteret, quod vitare proposuit. Et ideo hanc sententiam sustinent *Ovandus q.d.* 38. *q. un. propos.* 29. *Perez lib.* 8. *ordin. tit.* 19. *l.* 37. *ad fi. Molina lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 6. *Palacios in sum. Cajet. verb. Votum*, *vers. Sexto*, *Enriquez* multis neotericis nominatim allegatis, *l.* 7. *de indulg. cap.* 30. *n.* 6. *Lud. Lop.* 1. *p. instruct. cap.* 44. *col.* 2. *vers. Si autem sub forma* & 2. *p.* ubi de clavibus, *cap.* 9. *col* 11. *Vivald. candel. Sacr.* 3. *p. cap.* 14. *a n.* 50. *usque ad* 57. *Aragon.* 1. 2. *qu.* 88. *art.* 12. *col.* 8. *v. Si quis autem quærat*. *Beja in suis responsionibus*, *casu* 28. *Manuel quæst. regular.* 1. *tom. q.* 63. *art.* 7. *Ant. Gomez in bulla Cruciata*, *clausula* 10. *n.* 99. *Vega* 2. *tom. summæ*, *cap.* 129. *casu* 10. 99. & 114. Et ejusdem sententiæ clare sunt alii auctores, qui absque distinctione dicunt posse Episcopum in his votis dispensare. Hi sunt *Toledo lib.* 4. *sum. cap.* 18. *nu.* 11. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 7. *col.* 10. *v. Item possunt Emm. Sa summ. verb Votum* ubi de voti irritatione, *n.* 11. Et dicunt esse probabilem hanc sententiam *Sotus lib.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 3. *col.* 5. *vers. Unum vero dubium*. *Covar. Gutierez*, *Angles*, *Graffis num.* 4. *Philiarchus*, *quos num. præced. allegavi*. *Alcozer sum. c.* 16. *ad fi. Man.* 2. *tom. sum. c.* 97. *concl.* 2. *nu.* 2. & *in bulla Cruciata*, §. 9. *num.* 124.

9 Non tamen poterit Episcopus dispensare in his votis absolute emissis, quamvis ea vovens eligat in pœnam, & supplicium peccati admissi, vel ad evitandam infamiam & dedecus. Quorum votorum exempla proposui n. 6. in 2. argumento pro prima sententia. Quod licet in causa impellenti ad hæc vota reperiatur aliqua imperfectio: at vere absoluta sunt ex nullo eventu futuro pendentia: ac voluntas directe in rem promissam fertur, illamque eligit. At horum votorum absolutorum dispensatio est solius Pontificis. Adde, imperfectionem in his votis repertam non includi in ipso intrinseco vovendi actu, ipsaque voti natura: sed esse ipsi voto extrinsecam. Nam voluntas perfecte & absolute consensum præstat, eligens independenter ab ullo eventu castitatem aut religionem. Quod fecus contingit in votis pœnalibus. Quia in ipsomet vovendi actu, ac subinde in eorum votorum natura claditur imperfectio consensus voluntatis, qui non perfecte in rem promissam fertur, sed dependenter a conditionis eventu.

10 Ad arg. n. 6. proposita respondetur. Ad 1. dico id argumentum nullam vim habere. Nam etsi ante impletam conditionem id non sit votum undequaque perfectum: est tamen votum imperfectum, si quidem obligat imperfecte ad materiam promissam: nempe, eveniente conditione ut executioni mandetur. Et ita nec ante eventum est integrum voventi resilire ab obligatione per id votum contracta ingrediendi religionem, postquam conditio evenerit. Ad 2. constat ex dictis n. præc. ubi in neutro voto posse Episcopum dispensare diximus, reddita differentiæ ratione. Ad confirmationem dic, licet votum sit directe de religione aut castitate (nulla enim alia res sub votum cadit) at non oritur ex illorum affectu, nec ut grata assumuntur, sed ac odiosa, & in pœnam, quando id votum pœnale est, juxta dicta n. 2. Ad argum. propositum n. 7. ad probandum impleta conditione non posse Episcopum: & ad confir. dic, impleta conditione esse jam vota hæc absoluta quoad obligationem: non tamen quoad radicem ex qua processere: est enim in illis inhibita ea radicis imperfectio.

Quæstio posterior. An in voto conditionali possit Episcopus dispensare (quale sit hoc votum explicuimus n. 4. & 5.) 11
Triplex est sententia. I. sustinet, nec ante nec post impletam conditionem posse Episcopum dispensare. Prob. non posse ante impletam conditionem, quod in his votis non militet ratio, quæ in pœnalibus, emittuntur enim ex affectu castitatis aut religionis promissæ, quamvis obligatio perfecta suspendatur in eventum conditionis. At pœnalia non proficiscuntur ex amore rei promissæ. Et confirm. ex manifesta differentia inter hæc vota. Nam, qui pœnale emisit, nullatenus tenetur expectare rei eventum, sed posset ante conditionem impletam libere contrahere matrimonium. At, qui conditionale emisit, non potest, sed tenetur expectare conditionis eventum aut defectum (ut generaliter in quocumque contractu conditionali id probavi lib. 5. disp. 6. n. ult.) Cum ergo diversa sit in utroque voto obligatio ad castitatem vel religionem, diversum quoque erit jus dispensandi. Atque ita in pœnali permittetur Episcopo dispensatio ante conditionis eventum, secus in conditionali. Confirmatur amplius, quod hic ante eventum conditionis ad nuptias transiens, peccat directe contra votum castitatis aut religionis. Ergo hæc vota ante conditionis eventum obligant, tanquam vera religionis aut castitatis vota. Ac proinde nequit Episcopus dispensare. Posterior pars probabitur nu. seq. Et ideo hujus sententiæ sunt *Sotus lib.* 7. *de just. quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 4. *Navar. sum. latina*, *cap.* 12. *num.* 43. *Hispana cap.* 28. *addit. ad n.* 42. *cap.* 12. *Cordoba summ. quæst.* 152. *Guttierl.* 2. *quæst. canon. cap.* 22. *num. ult. Aragon.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 12. *col.* 8. *versic. Si quis autem quærat*, *Manuel in bulla Cruciata*, §. 9. *nu.* 125. *in addit. eod.* §. 9. *n.* 116. *Lud. Lop.* 1. *p. instr. cap.* 44. *cap.* 2. *vers. Vota ista conditionalia*, *Azor l.* 11. *instit. mor. cap.* 19. *q.* 13. Et videntur clare sentire *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 7. *col.* 10. *vers. Item possunt*, & *Vega* 2. *tom. sum. cap.* 129. *casu* 99. & *casu* 21. nam absque distinctione ajunt non posse Episcopum in his votis dispensare.

II. Sententia docet ante impletam conditionem posse Episcopum, secus post impletam. Probatur prior pars. Quia ante impletam conditionem id votum conditionale non habet tam perfectam & absolutam voti rationem. Quippe votum perfectum statim obligat, licet quandoque non pro statim. Sicut in omnibus præceptis affirmativis contingit. At hujus voti obligatio pendet ex futuro eventu. Et confirmatur, quia cum virtus obligandi hominem Deo, sit de voti essentia. Sicut votum conditionale nondum impleta conditione minime perfecte obligat, sed secundum quid, nempe, ad expectandum conditionis eventum: ita non posset dici votum simpliciter, sed secundum quid. Nec potest negari valde minui voti perfectionem ex hac dependentia obligationis a conditione voluntarie superaddita. At dum casus aliquis reservatur superiori, reservatio tanquam odiosa intelligitur de casu perfecto & completo in propria specie, ut tradunt DD. in tractatu de penitentia, agentes de casuum reservatione. 2. quia sponsalia conditionalia non sunt simpliciter & vere sponsalia, donec conditio impleatur: ac proinde non pariunt publicæ honestatis impedimentum, *cap. un. de sponsi. in* 6. Nec excommunicatio lata in contrahentes sponsalia, ac reservata, comprehenderet sponsalia conditionalia, donec conditio adveniret, quia antea non sunt perfecta in sua specie. Probatur autem posterior pars. Quia adveniente conditione æque obligant vota hæc conditionalia ac absoluta, ut constat ex *l. Potior*, *in fine principii*, *ff. qui in pignore potiores habeantur* cujus verba nu. 7. retulimus. Qua ratione lib. 5. disp. 8. n. 5. probavi matrimonium sub conditione initum, effici ea impleta legitimum, non minus quam si ab initio absolutum esset. Et *cap. un. in fin. de sponsi. in* 6. decidit sponsalia conditionalia, quæ defectu perfectionis consensus non producebant impedimentum ante conditionis adventum, id producere ea adveniente, tanquam suam perfectionem consecuta. Atque id votum conditionale factum est ex castitatis aut religionis amore: nec ea electa sunt tanquam odiosa, & penalia ad deterrendum a delicto. Atque proinde hac ratione non deficiunt a perfecta actus religionis ac voti natura. Sicut deficit votum penale. Nec valet, si dicas actum vovendi a principio fuisse conditionalem: nec adventu conditionis mutare naturam. Nam ad dispensandum potius spectanda est obligationis qualitas, quam ejus initium. 2. Quia excommunicationem jure latam in jubentes percuti clericum, vel simoniace vendentes beneficia, incurrunt jubentes sub conditione, vel vendentes sub conditione, quando conditione impleta fit percussio, vel consummatur vendi-

venditio: juxta omnes, cum tamen res hæc sit valde odiosa & pœnalis. 3. Quia si quis credens rem ita se habere, aut habuisse, quasi sponsionem faciens, voveret Deo religionem si res non ita se habet, aut habuit, nemo dubitaret nequire Episcopum in eo voto dispensare. Cum tamen consensus in votum sit valde imperfectus. Ratio ergo consensus imperfecti in voto conditionali reperta non est sufficiens, ut impleta conditione possit Episcopus in eo voto dispensare. Hanc sententiam amplectuntur viri quidam doctissimi neoterici. Et pro illa sunt *Perez lib.* 8. *ordin. tom.* 19. *l.* 37. *ad fin. Manuel* 2. *to. sum. cap.* 97. *n.* 2. *concl.* 2. *Vega* 2. *tom. sum. cap.* 129. *casu* 10. ubi affernunt, impleta conditione non posse Episcopum in voto conditionali dispensare: & ita videntur sentire antea posse.

13 III. Sententia docet, posse Episcopum ante & post conditionem impletam dispensare. Ducitur quoad posteriorem partem (prior enim satis est n. præc. probata) Quod ad discernendam Episcopi potestatem, ad dispensandum in his votis, non sola obligatio ex his consurgens impleta conditione, spectanda sit: alias nec in voto pœnali impleta conditione posset: utpote quod tunc instar absoluti obligat: quod tamen est contra receptissimam sententiam nu. 8. relatam. Sed initium ac radix illius obligationis sunt quoque attendenda. Et si ea a perfecta voti castitatis, & religionis natura deficiant, poterit Episcopus dispensare. Quod impleta conditione licet obligatio sit jam absoluta, at radix illius obligationis fuit imperfecta. At hæc imperfectio invenitur in voto vere conditionali. Quippe radix ejus obligationis fuit imperfecta voluntas a futuro eventu pendens, quæ in ipsa obligatione quasi imbibita manet. Semper enim est verum dicere ortam esse hanc obligationem ex consensu quodam imperfecto. Poterit ergo Episcopus in eo etiam impleta conditione dispensare. Atque ea reservatio tanquam valde odiosa restringenda erit ad ea vota, quæ quoad obligationem, & illius radicem, sortiuntur perfectam voti castitatis, ac religionis naturam. Et confirm. quia hac ratione poteat Episcopus dispensare in votis pœnalibus impleta conditione. Quia etsi jam absoluta sint quoad obligationem: at imbibitam in se habent imperfectionem radicis, nempe, obligationem non processisse ex amore castitatis aut religionis, sed potius ex odio. Ergo similiter poterit Episcopus dispensare in voto vere conditionali, impleta conditione, eo quod in se retineat imperfectionem radicis, ex qua procedit. Tandem quia fere semper vota hæc conditionalia non procedunt ex religionis aut castitatis affectione, sed ex amore rei positæ sub conditione, quam vovens obtinere desiderat, & ut facilius illam consequatur, offerre Deo ea vota. Sicut nec vota pœnalia procedunt ex affectu rei promissæ. Ergo sicut in his potest Episcopus, ita in illis. Quamvis majorem rationem potestatis dispensandi in pœnalibus esse videam: at suo etiam modo ratio illa in conditionalibus militat. Et ideo hujus sententiæ aperte videtur *Toledo lib* 4. *sum. cap.* 18. *n.* 11. ubi absolute ac indistincte docet dispensationem tam in votis pœnalibus, quam in conditionalibus castitatis ac religionis, ac reliquis reservatis, ad Episcopum pertinere. Et tenet in propriis terminis dicens praxi virorum sapientissimorum frequentissima receptam esse hanc sententiam *Ant. Gom. in bulla Cruciat. claus.* 10. *n.* 99. Et tenent quidam viri doctissimi nostræ ætatis, temperantes quando votum non apparenter, fed vere est conditionale (prout explicuimus n. 4. & 5.) Quando enim votum est apparenter solum conditionale, eo quod dictio, si, æquivaleat dictioni, quando, nequibit etiam ante impletam conditionem Episcopus dispensare: nedum post. Et hæc sententia sic temperata mihi præ ceteris placet, quam post hæc scripta inveni sustineri a *Petro de Ledes.* 2. *par. sum. tract.* 10. *c.* 8. *fol.* 1216.

14 Et tamen hæc sententia, intelligenda, quoties conditio est de futuro, nec tacite inest. Quæ revera suspendit consensum, efficitque ne votum absolutum sit. Nam si sit de præterito aut præsenti, ut Voveo religionem, si ita res se habet modo, aut se habuit, non suspendit, sed est votum omnino absolutum, si conditio tunc vera sit, sive vovens sciat, sive ignoret conditionem extare, ut expresse habetur *leg. Cum ad præsens* & *duplici seq. ff. si certum petatur*. Quare licet aliqualis imperfectio in his votis inveniatur, quia tamen non talis ac tanta est, qualis ac quanta in voto vere conditionali reperitur, non potest Episcopus in his dispensare. Et constat a simili, nam ratione imperfecti consensus decidit *cap. un. de sponsi. in* 6. non oriri ex sponsalibus conditionalibus ante conditionis eventum publicam honestatem: & tamen si conditio est de præterito vel præsenti, & est vera, oritur publica honestas. Et similiter si tacite inest, atque apponitur eo modo quo inest, ut probavi lib. præced. disp. 69. num. 4. & 8. Non ergo in votis sub conditione de præterito, aut præsenti, aut quæ tacite inest, & apponitur eo modo, quo inest, invenitur ea consensus imperfectio, quæ satis est ut possit Episcopus dispensare.

15 Ad argumenta num. 11. proposita resp. Ad 1. & confirm. fateor non tanta ratione fulciri potestatem Episcopi ad dispensandum in voto conditionali, quanta ad dispensandum in voto pœnali. At ratio ad id sustinendum non deficit, ut n. 13. probavimus. Ad 2. & confirmationem dic verum esse, id peccatum esse contra votum: at quia id votum non undequaque perfectum voti castitatis, aut religionis naturam sortitur, potest Episcopus dispensare. Ad arg. proposita n. 12. probantia non posse Episcopum dispensare impleta conditione, respondetur. Ad 1. constat ex dictis num. 10. tantum enim probat impleta conditione manere hæc vota perfecta quoad obligationem. At quia adhuc in se imbibitam retinent imperfectionem radicis, a qua processerunt, potest Episcopus dispensare. Ad secundum die eas pœnas respicere solam facti veritatem, nempe, veram clerici percussionem, veram beneficiorum venditionem, quæ impleta conditione vere reperiuntur. At reservatio potestatis dispensandi in votis respicit perfectionem voti castitatis aut religionis, quoad obligationis radicem. Atque si id argumentum vim habeat, æque probat non posse Episcopum dispensare in voto pœnali, impleta conditione. Ad tertium constat ex dictis num. præcedenti.

DISPUTATIO XI.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis post matrimonium, emisso ab altero vel utroque conjuge?

SUMMARIUM.

Explicantur casus discutiendi: & *remissive*, *quando est solum non petendi debiti votum*, *n.* 1.
An dispenset Episcopus, *quando alter conjux sine alterius licentia castitatem vovit*. *Refertur duplex sententia*, *n.* 2. & 3.
Proponitur sententia Auctoris, 4.
Quid, *quando alter solus cum licentia alterius*, *vovit*, 5.
Quid, *quando uterque continentiam vovit absque alterius licentia*, 6.
Quid, *quando uterque cum alterius licentia*, *non per modum contractus*, 7.
Quid, *quando uterque communi consensu*, *ac per modum contractus vovit continentiam*. *Refertur duplex sententia*, *nu.* 8. & 9.
Proponitur sententia Auctoris, 10.
An quando ratione necessitatis dispensat Episcopus, *sit ad solum petendum debitum*, 11.
An tunc possit, *si sit recursus ad potentem*, *ex privilegio dispensare*, 12.
An possint Episcopi in hoc voto dispensare, *quando conjuges illi exceperunt casum aliquem*, *ut*, *si soboles*, *quam habemus*, *moriatur*, *volumus*, *ut liceat nobis usus conjugii*, *vel id voveant a tempore*, *quo sobolem habuerint*, *implendum*, 13.
Quid, *si mutuo consensu voverint solam castitatem ad tempus*, 14.
An si illi conjuges remittant sibi mutuum pactum tradentes iterum sibimet corporum potestatem, *possit Episcopus in eo voto dispensare*, 15.

VOtum a conjugatis emissum, non potest esse tantum de non petendo debito. Et de hoc voto satis egimus disp. 9. n. 7. & 8. & ibi n. 6. egimus de voto castitatis conjugalis servandæ. Quare disputatio præsens est de voto castitatis absolute a conjugatis emisso. Et quia hoc potest quintuplici modo emitti, ideo, ut distincte procedamus, quintuplex casus disputari potest. Primus est, quando alter conjux absque alterius conjugis licentia vovet castitatem. Secundus, quando cum alterius licentia alter solus vovit. Tertius, quando uterque absque alterius licentia. Quartus, quando uterque seorsum cum licentia alterius, non tamen per modum contractus. Ultimus, quando uterque mutua licentia per modum contractus continentiam vovit.

In primo casu, quando alter conjux absolute vovit continentiam absque alterius licentia: quidam censent non posse Episcopum dispensare, sicut nec in voto continentiæ absoluto ante matr. emisso, nisi in casu urgentis necessitatis. Quia ultra obligationem non petendi debiti, includit id votum etiam obligationem integram castitatis, quando liber fuerit conjux a debito conjugali reddendo, sive per alterius conjugis mortem, sive fornicationem, ob quam alteri divertere licet. Nec est conditionale. Quia ea conditio non reddendi quoties voventi licuerit, inclusa in eo voto, non est addita ex libera voventis voluntate: sed suapte natura in eo voto clauditur. Et hæc sententia est probabilis: illamque tenent quidam neoterici docti. Et *Lud. Lop.* 1. *p. instr. c.* 47. *in fi.* quamvis non explicet si absque alterius licentia vel cum illa votum sit emissum.

Alii vero censent posse Episcopum dispensare in hoc voto & quamvis non explicent an ea dispensatio sit tantum ad petendum debitum, an potius omnino in eo castitatis voto, at ratio cui innituntur probat omnimodam dispensationem. Ducuntur, quod hoc votum non sit omnimodæ continentiæ: cum ad non reddendum debitum obligare nequeat. At reservatio voti castitatis tanquam odiosa, de integræ castitatis voto est intelligenda (ut late tota disp. 9. diximus) Et ideo hanc partem sustinet *Stunica de voto*, *qu.* 3. *n.* 64. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub. ult. Manuel* 2. *tom. sum. c.* 90. *n.* 6. *ad fi.* Et posse Episcopum dispensare, quamvis alio fundamento ductus, tenet *Gutierez*, quem disp. 9. num. 4. allegavi, ejus fundamentum reprobans.

Et placet quidem hæc posterior sententia, casu quo id votum emissum sit post matrimonium consummatum. Quia non est

est votum omnimodæ castitatis, & ita minime obligat ad non reddendum, etiam quando redditio est voluntaria propter alterius conjugis adulterium, aut divortium (ut probabo lib. seq. disp. 35. n. 26. & duplici seq.) Si autem emissum sit ante matrim. consummationem : subdistinguendum est; si id fuit animo ingrediendi religionem ad votum implendum, nequit Episcopus in eo voto dispensare. Quia valet ut votum omnimodæ castitatis (ut probabo ea disp. 35. n. 23.) Secus (ut ibi dicam) si vovens non habuerit animum ingrediendi religionem: vel tempore voti se habuerit negative, nec de ingressu nec de opposito cogitans: tunc enim non est omnimodæ castitatis votum (ut ibi probabo) & ideo potest Episcopus in eo voto omnino dispensare, liberando prorsus ab ejus obligatione voventem. Quando tamen animo ingrediendi religionem vovit, licet nequeat Episcopus prorsus in eo voto dispensare: poterit tamen ubi jam semel matr. consummavit dispensare ad petendum debitum. Sicut disp. seq. n. 4. dicemus posse cum eo, qui ante matrim. id votum imit. Et quamvis ibi n. 6. dicamus posse tunc ad petendum debitum dispensare, licet animo ingrediendi religionem voverit, aut id matrimon. inierit, atque quamvis nondum matrim. consummatum sit. At si id castitatis votum post matrim. ratum emisit, animo ingrediendi religionem, ut illud impleat, sciens se aliter illud implere non posse, credo non posse Episcopum dispensare ante matr. consummationem, ut petat debitum; secus post. Ratio prioris partis est, quia cum tempore quo se voto astrinxit, sciverit se aliter non posse illud implere, quam ingrediendo religionem, & ingrediendi animum habuerit, ut illud impleat, videtur se ad ingressum in eo voto obligasse, & cum adhuc possit implere, nequibit Episcopus dispensare. Ratio autem posterioris partis est, quia semel matrim. consummato nequit jam ingredi religionem, & cum teneatur simul habitare cum conjuge, & reddere debitum, versabitur in magno incontinentiæ periculo, ni petat. Et ideo potest tunc Episcopus dispensare ad petendum: & hoc quamvis posset adiri Pontifex, aut alius potens ex privilegio dispensare, sicut disp. seq. n. 4. & 7. dicimus posse in voto castitatis ante matrimonium facto. Sed argues ad probandum hunc, qui post matrimonium ratum vovit castitatem animo ingrediendi religionem, sciens se aliter non posse implere, non censeri vovere religionem. Quia si alter conjux obiret, aut transiret ad religionem, aut consentiret, ut hic vovens, plene castitatem servaret, non teneretur hic religionem ingredi. Sed respondeo hoc verum esse: quia ille non censetur vovere religionem, nisi quatenus esset necessaria ad castitatis votum servandum: quare cum in eo casu possit servare in sæculo, non tenebitur ad religionem.

5 In II. casu, quando cum licentia alterius conjugis alter solus continentiam vovit: quidam dicunt posse Episcopum dispensare, ut vovens petat debitum: & nil aliud explicant. Sic *Manuel 1. tom. sum. 2. edit. cap. 243. concl. 14. n. 14 Vega 2. to. sum. cap. 120. cas. 77.* At existimo eodem pacto distinguendum, quod distinxi n. præced. Aut enim hoc votum cum licentia alterius conjugis factum est ante matrimonium consummatum animo ingrediendi religionem, scienti se non aliter posse votum implere integre, sed manendo in sæculo teneri reddere debitum: & tunc cum videatur se ad religionem obligare, casu quo aliter nequeat servare castitatem, juxta dicta nu. præced. nequibit Episcopus dispensare etiam ad petendum debitum. At si jam matrimonium consummat: cum nequeat ad religionem transire, & teneatur, non obstante ea licentia, reddere debitum (ut probabo lib. seq. disp. 36. n. 5. & 6.) poterit Episcopus dispensare, non prorsus in eo voto; sed tantum ad petendum debitum. Quia valuit ut votum omnimodæ castitatis (ut probabo lib. seq. disp. 36. n. 6.) Si autem id votum factum est post matrimonium consummatum, & animo ingrediendi religionem, volente altero efficere jure requisita, ut hic vovens transeat ad religionem, non poterit Episcopus dispensare etiam ad petendum debitum. Quia ad religionem voluit se obligare. At si alter propositum mutet, cum hic non possit ad religionem transire, poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum: non tamen omnino in eo voto: eo quod sit absolutæ castitatis. Quando vero id votum absque animo ingressus religionis est factum, sive ante consummationem matrim. sive post, poteit Episcopus omnino in eo voto dispensare: quod non sit votum omnimodæ, & absolutæ castitatis, sed partialis. Si quidem eo non obstante tenetur vovens reddere debitum: & potest reddere, licet alter in adulterium incidat: ut probabo lib. seq. disp. 36. nu. 5. & 6.

6 In III. casu, quando uterque conjux continentiam vovit absque alterius licentia, dicendum est prorsus quod n. 4. diximus, quando alter solus absque alterius licentia vovit. Quia similiter non est votum continentiæ & absolutæ & omnimodæ, & tenetur reddere, ac potest quamvis alter adulterii reus sit: nisi quando ante matrimonium consummatum animo expresso ingrediendi religionem factum esset (ut probabo lib. seq. disp. 37. nu. 1. & 2.) tunc enim esset votum omnimodæ castitatis, nec posset Episcopus dispensare in eo: nisi solum ad petendum debitum in casu solo, in quo nu. 4. dixi id posse.

7 In IV. casu, quando uterque seorsum continentiam vovit habita ab altero licentia, non tamen per modum contractus, & reciprocæ conventionis; Facio, ut facias, sed independenter ab alterius voto, dicendum est omnino, quod nu. 5. diximus. Quia similiter non est votum omnimodæ continentiæ, sed partis. Cum teneatur alter alteri debitum reddere, ac possit, licet a debiti reddendi obligatione liber sit ob alterius adulterium (ut probabo lib. seq. disp. 39. n. 3. & 4.) Et quando id votum animo ingrediendi religionem factum esset, dicendum est, quod n. 5. dixi in hac disp.

In ultimo casu, quando uterque communi consensu continentiam vovit per modum contractus, ac reciprocæ conventionis; Facio ut facias: aliqui absolute dicunt posse Episcopum in hoc voto dispensare. Sic *Majoris 4. dist. 32. qu. 2. col. 2. in solut. ad 2. contra 2. concl.* Atque idem forte dicerent authores sentientes id non esse votum omnimodæ continentiæ, sed utrumque teneri reddere, quos referam lib. seq. disp. 37. num. 9. 8

Aliis vero neotericis doctissimis placet posse tunc Episcopum dispensare ad petendum debitum, quod etiam tenent *Emm. Sa summa, verb. Debitum conjugale, n. 2. & Manuel quæst. regularibus, 1. tom. qu. 63. art. 2.* Ducuntur, quia cum sit odiosa reservatio, debet restringi ad propriam verborum significationem. Ut dum reservatur casus, intelligitur quando habet propriam & completam rationem in propria specie. At hoc non est proprie dispensare in voto castitatis, sed in effectu illius ad tempus, nec quoad omnes effectus. Quia est sacrilegus uterque fornicans, nec eo matrim. soluto potest ad aliud transire. Sed tantum est dispensatio ad petendum debitum: quia concessa consurget ex ipso matrim. contractu obligatio debiti reddendi. Item, quia in voto castitatis, quod matrimon. contractum præcedit, dispensat Episcopus ad petendum debitum. Cur ergo non poterit in hoc post matrimonium facto? cum hoc non magis obliget, quam illud. 9

At neutra opinio placet. Non prior, quia hoc votum est absolutæ & integræ castitatis; & obligat prorsus ad non petendum, nec reddendum (ut probabo lib. seq. disp. 37. nu. 10.) Nec etiam posterior placet. Quia ejus priorem rationem aperte impugnabo disp. seq. n. 4. Nec posterior ratio aliquid probat. Quia non est simile de voto castitatis ante matrim. emisso. Quia ex natura rei est quoque Pontifici reservatum, dispensare in eo ad petendum debitum. Et solum potest hodie, eo quod diuturna consuetudo obtinuit, ut Episcopi in hoc dispensent, (ut dicemus disp. seq. n. 4.) Quæ consuetudo ortum habuit ab evidenti incontinentiæ periculo, si conjux nequeat petere, cum tamen ratione matrim. teneatur reddere. Quod in præsenti casu minime obtinuit, nec idem periculum militat, neuter enim teneretur, nec licite reddere potest. Ideo dicendum est, non posse Episcopum dispensare cum his conjugatis, ut matrimon. utantur, sive petendo, sive reddendo, nisi quando esset incontinentiæ periculum in alterutro, nec commode Pontifex adiri posset præ paupertate, aut alia ratione. Priorem partem probat ratio proxime adducta, & discrimen ibi constitutum inter hoc votum, & idemmet dum est ante matrim. Posterior autem probatur. Quod in ea necessitate possit Episcopus dispensare cum solutis ad ineundum matrim. (ut probavi disp. 9. n. 22. Ergo a fortiori cum conjugatis his ad petendum debitum. Et rationes ibi adductæ hoc satis probant. Et ita hanc partem tenent *Sylv. verb. Votum 2. fin. junctio verb. Dispensatio, qu. 9. num. 15.* ad quem locum se refert *Navar. summ. cap. 12. n. 59. Stunica qu. 3. de voto num. 64. & 65. Palacios 4. disp. 32. disp. 2. col. 8. vers. Quod si votum, Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 15. num. 8. Manuel 1. tom. summ. 2. edit. cap. 233. concl. 14. num. 14. Aragon, 2. 2. qu. 88. art. 8. dub. ultim. Lud. Lopez 1. part. instr. cap. 40. col. 1. vers. Quando uterque, Vega 2. tom. summ. cap. 34. cas. 104. statim in princip. & cap. 129. cas. 68.* Atque idem dicendum est, quando licet adiri possit Pontifex, imminet tamen grave incontinentiæ periculum ex mora. Quia in eodem eventu diximus eadem disp. 9. numer. 22. posse Episcopum dispensare in castitatis voto, & pro hac parte sunt *D. Anton. 3. part. tom. 1. cap. 22. §. 4. Sotus 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 4. col. antepen. vers. Quod si contra arguas, Angles Floribus 2. part.* ubi de voto *quæst. unica, art. 7. disc. 10. Vega dict. cas. 68.* ubi absolute docent posse Episcopum dispensare, quando est incontinentiæ periculum. Atque idem dicunt *Navar. Enriquez proxime allegati, & Manuel d. cap. 243. n. 14.* quando ex magno timore, licet non sufficienti ad votum irritandum, id factum est. Et placet, siquidem id votum non est omnino voluntarium, & cum, ut integram voti castitatis vim habeat, exigatur mutuum pactum, ubi id omnino voluntarium non fuit, sed metu magno extortum: nil mirum si non ita Papæ reservetur, ac quando sponte factum est.

12 Id tamen monuerim, dispensationem Episcopi in hoc voto ob urgentem necessitatem factam solum posse esse ad petendum debitum. Quia ad hoc solum necessitas urget. Quare conjux hic fornicans delinquit contra votum, & ex vi illius tenetur eo matr. soluto, non transire ad aliud, & si reus voti transeat, tenebitur non petere debitum, instar ejus, qui castitatis voto ligatus matrim. init. Atque tunc poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum. Quia respectu hujus posterioris matr. se habet instar ejus, qui post votum duxit uxorem: cum quo posse Episcopum dispensare ad petendum debitum, dicemus disp. seq. n. 4. Similiter si soluto eo matrimonio adfuerit urgens necessitas dispensandi, ut conjux superstes, qui sic mutuo consensu voverat, transeat ad alias nuptias, poterit ad id dispensare Episcopus. Sicut disp. 9. nu. 22. diximus posse in hoc eventu dispensare in castitatis voto.

13 Secundo monuerim, cum potestas Episcopi ad dispensandum cum his conjugibus mutuo castitatis voto per modum contractus astrictus, ut possint petere debitum, competat ratione solius necessitatis, & defectu potestatis commode adeundi Pontificem, non posset Episcopus in hoc dispensare, si posset absque eo periculo adiri habens privilegium Pontificis ad dispensandum (ut dixi in simili, disp. 11. nu. 25.) Quia tunc cessat ea necessitas.

13 Dupliciter tamen limitanda est hæc sententi. 1. ut intelligatur, quando nulla exceptio in eo voto posita est. Si enim aliquis casus exciperetur, non esset votum omnimodæ castitatis: & ita posset prorsus in eo Episcopus dispensare. Ut si conjuges per modum contractus vovissent castitatem, hac lege, ut si soboles, quam tunc habebant, obiret, possent uti matrimonio. De quo casu his diebus consultus responsi, posse Episcopum omnino in hoc voto dispensare. Propter rationem dictam. At secus esset, si ab initio promitterent continentiam, si haberent prolem: tunc sic distinguendum esset, si dictio, si, æquivalet dictioni, quando; ut sensus sit, postquam habuerimus prolem, promittimus ex tunc continentiam, esset votum vere absolutum castitatis, & tantum quoad effigiem esset conditionale: & sic non posset Episcopus dispensare, nec ad petendum debitum, nisi in casibus explicatis num. 10. Si vero sensus esset conditionalis, si Deus nobis hoc beneficium concesserit, ut habeamus prolem, promittimus in gratiarum actionem continentiam: tunc retenta sententia, quam tenuimus disp. præc. num. 13. dicendum est, posse Episcopum in eo voto prorsus dispensare, sive ante impletam conditionem, sive post, quia est vere conditionale.

14 Hinc deducitur, posse Episcopum dispensare, quando conjuges illi mutuo consensu, & per modum pacti, solam continentiam ad tempus vovissent, quod id castitatis votum sit temporale, ac proinde non reservatum. Sic *Palac. 4. dist. 2. col. 17. vers. Suffragatur communi placito.*

15 Secundo limitanda est, nisi conjuges illi, qui per modum contractus voverunt, remittant sibi ipsis renuntiationem illam juris petendi & reddendi, quam vovendo fecerant, iterum conferendo sibi mutuam corporum potestatem. Quippe tunc valet prædicta remissio, & tenebitur uterque debitum reddere, (ut dicam lib. seq. disp. 37. num. 15.) Quare poterit tunc Episcopus dispensare ad petendum debitum, ratione illius periculi, quod gravissimum imminet, si cum sint obligati ad reddendum, sit illis interdicta debiti petitio. Atque id existimo posse, etsi facilis sit ad Pontificem recursus. Quia per illam renuntiationem quasi de novo contrahitur matrimonium, quoad licitam eo utendi facultatem; & petitio debiti erit ratione illius voti interdicta, concessa, ac obligantie redditione. Quare dicendum est posse Episcopum in hoc voto castitatis dispensare ad petendum debitum, licet Pontifex facile adiri possit. Sicut disp. seq. n. 4. & 7. id dicemus de eo, qui voto castitatis astrictus matrimonium contraxit.

DISPUTATIO XII.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis, & in affinitate, ac cognatione spirituali post matrimonium contractis ad petendum debitum conjugale?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sunt, num. 1.
An possit Episcopus dispensare in voto castitatis præcedente matrimonium ad petendum debitum. Refertur quædam opinio, 2.
Hac opinione retenta, nequit quoties adiri potest habens dispensandi privilegium, 3.
Proponitur sententia Auctoris, n. 4. Et ibi, an possit dispensare cum conjugato, qui absque uxoris licentia sacris initiatus est.
An possit Episcopus dispensare cum professo, aut sacris initiato, ad petendum debitum, quando absque causa justa dispensatum est cum eis ad ineundum matrimonium. Remissive, 5.
An possit dispensare in voto castitatis ad petendum debitum, quando nondum matrim. est consummatum, n. 6. ibi, quid si ille votum religionis fecerat; vel alter in adulterium incidat.
Quid, si adiri valeat potens ex privilegio dispensare, 7.
Quid, quando votum castitatis emissum est post matrim. & quid possint circa dispensationem in votis ad petendum debitum, confessores per bullam Cruciatam: & religiosi per sua privilegia: Remissive, 8.
An dispensatio hæc Episcopi in voto castitatis sit plena, an solum ad petendum debitum, 9.
An possit Episcopus dispensare ad petendum debitum in affinitate contracta post matrimonium: Refertur duplex sententia. num. 10. & 11.
An juxta has sententias possit, quando est aditus ad potentem ex privilegio, 12.
Proponitur sententia Auctoris, 13.
An possit, quamvis adiri valeat potens ex privilegio, 14.
An possit dispensare in cognatione spirituali ad petendum debitum, 15.
Quid possint commissarius Cruciatæ, & religiosi per sua privilegia circa dispensationes ad petendum debitum in affinitate, aut cognatione spirituali, Remissive, 16.

Disputatio præsens tres quæstiones disputandas petit circa Episcopi facultatem ad dispensandum cum conjugatis in debiti conjugalis petitione. Prima est de voto castitatis. Secunda de affinitate. Tertia, de cognatione spirituali. 1

Quæstio I. An possit Episcopus dispensare ad petendum debitum, cum conjuge, qui voto castitatis astrictus matrimonium iniit? Quia in re quidam censent solius Papæ esse in hoc dispensare: & solum posse Episcopum ratione necessitatis urgentis, quando, scilicet, voto astrictus caret sumptibus necessariis ad impetrandam dispensationem, vel periculum incontinentiæ ex mora illius imminet, quod communiter evenit in conjugatis simul habitantibus. Ducitur, quod in voto castitatis ex quo oritur obligatio hæc non petendi debiti, solus Papa dispenset, nisi ratione urgentis necessitatis. Sic tenent *Sotus 4. dist. 38. q. 2. art. 1. col. penul. vers. reddere etiam, Ledesm. 2. part. 4. quæst. 55. art. 1. col. 1. vers. Sed hæsitabis, Palacios 4. dist. 32. disp. 2. col. 8. vers. Ego vero, & dist. 34. disput. 2. col. 11. vers. Et quamquam, & dist. 38. disp. 3. col. 24. vers. At vero necessitati, Margarita confessorum in 6 præcept. fol. 89. col. 1. Gaeta cap. ad limina 30. q. 1. §. 4. quæst. 127 num. 350. Pedraza summ. in 6. præcept. §. 9. Sylv. v. Dispensatio, q. 9. n. 15. & v. Matrimonium, 7. q. 5 fin. & v. Debitum, q. n. 15. & v. Votum 4. q. 4. Armilla v. Debitum, n. 13. Nav. summ. c. 12. n. 76. & 86. & c. 16. n. 30. Perez lib. 4. ordin. tom. 1. lib. 1. col. 28. fol. 4. Guttier. q. can. lib. 1. cap. 23. nu. 17. Petrus de Ledes. de matrim. quæst. 53. art. 1. col. 15. vers. advertendum tamen, Toledo lib. 4. summ. c. 18. n. 1. differt. 2. Barth. a Ledes. de matr. dub 32. col. antepenult. Azor lib. 11. instit. moral. c. 19. q. 8. Graffis 1. part. dec. lib. 1. cap. 13. num. 80.*

Quare juxta hanc sententiam dicendum est, non posse Episcopum etiam dispensare in casu necessitatis, si recursus sit ad potentem ex privilegio dispensare in voto hoc ad petendum debitum (ut in simili dixi disp. 9. num. 25.) Et ita affirmat *Petr. de Ledes. num. præced. allegatus*, asserens non posse Episcopum dispensare, si ad Nuncium Apostolicum aditus pateat. Quod tamen eo num. 25. reprobavi, eo quod hic non majori potestate gaudet quoad has dispensationes, quam Episcopi. Et sic juxta hanc sententiam, raro vel nunquam poterunt Episcopi in hoc dispensare. Quia ubique est copia religiosorum mendicantium, qui possunt in hoc ex privilegio dispensare ut dicemus disp. 16. 2

At multo probabilius est, posse semper Episcopum dispensare cum conjugato, qui voto castitatis ligatus transit ad nuptias, ut petat debitum. Cujus rationem reddunt *Enriquez, Manuel Vega statim allegand.* Quod id non sit in voto castitatis dispensare, sed ad quemdam solum effectum. Cum hic conjux non obstante hac dispensatione sit sacrilegus fornicando: nec eo matrimonio soluto possit ad aliud migrare. Sed hæc ratio displicet. Nam similiter probaret posse Episcopum dispensare ad eum solum effectum, ut ligatus voto castitatis ineat semel matrimonium, manente voto in sua firmitate quoad cetera. Quod nullus concedit. Alteram rationem tradit *Palacios statim allegandus*, nimirum, quia id votum castitatis a sua perfectione cadit post matrimonium initum: eo quod jam non obliget ad reddendum. At in voto castitatis imperfecto potest Episcopus dispensare. Sed neque hæc ratio arridet. Quia simili modo probabiliter concludere posset Episcopum in eo voto prorsus dispensare. Quippe ob eamdem rationem imperfectionis, quæ invenitur in hoc castitatis voto post matrimonium emisso, defendimus disp. præced. a nu. 4. posse Episcopum in eo prorsus dispensare. Præterea cum votum absolute ac perfecte emissum fuerit, & obligarit: non potest dici imperfectum ratione status culpate assumpti: nec ex culpa sua debet assumens reportare commodum. Quare legitima hujus ratio est, quam tradunt nonnulli ex auctoribus pro hac sententia allegandis. Quia licet attento jure hæc dispensatio sit solius Pontificis: at consuetudine, quæ jurisdictionem præbet *c. Cum contingat, de foro compet.* obtentum est hanc dispensationem Episcoporum esse. Passim enim Episcopi in hac dispensant, nullo Romam consugiente ad petendam in hoc dispensationem: eo vel maxime, quod eæ dispensationes excusari nequeant ratione urgentis necessitatis, cum facilis semper aditus pateat ad religiosos mendicantes, qui ex privilegio possunt in hoc dispensare. Et ideo hanc sententiam tenent ex Jurisperitis, *Jo. Andr. c. Rursus, num. 6. Qui clerici vel vovent & ibi Anton. fine, Anchar. num. 2. oppos. 1. fin. Præpos. num. 6. Alex. de Nevo num. ultim. Henr. num. 4. Brunel. de sponsal. concl. 31. numer. 4. Hier. Mangariæ in arbore consanguinit. §. In nomine, num. 56.* (uterque habetur tom. 9. tractat.) *Rosella v. Impedimentum, impedim. 4. num. 5. fin. Angelus v. Matrim. 3. impedim. 5. num. 3. & ver. Votum 4. num. 9. Armilla v. Dispensare, num. 18. & v. Matrimonium, num. 55. Tabiena v. Matrimonium 1. quæst. 2. & v. Impedimentum, impedim. 2. quæst. 5. Greg. Lopez lib. 11. fin. t. 2. p. 2. Gallego de cognat. spir. c. 19. nu. 15. Mozzius*, quem refert & sequitur *Hugolin. de matr. c. 20. num. 10.* Et ex Theologis, *Majoris 4. d. 32. q. 2. argum. 2. contra 2. concl. D. Anton. 3. p. t. 1. cap. 22. §. 2. fin Sotus 4. d. 37. q. un. art. 1. in fin. corpor. & art. 2.*

art.2. col.4. vers. Et pro hoc respondetur, Alex. in suo Enchir. in 2. par. præcep. 1. tract. de voto, vers. Episcopus tamen dispensat, Vepar. Sorbus in compend. privilegior. mendic. verb. absolutio quoad seculares, 2. in resolut. quas ibi ponit, vers. Tertio advertendum est, f. 75. Vivald. candel. Sacram. 1. part. ubi de matrim. *n.* 140. & 3. *p. c.* 14. *n.* 41. *Manuel 1. tom. summ. 2. edit. c.* 242. *n.* 2. & *in bulla Cruciata, §. 9. n.* 119. & *q. regul. 1. t. q. 6. art. 2. Valent. 4. p. disp.* 10. *q.* 5. *pun.* 5. *fin. Lud. Lopez 2. p. instr.* ubi de matrim. *cap.* 46. *vers. adde vero, f.* 1110. & 1. *p. c.* 83. *vers. penult. Emm. Sa summ. v. Debitum conjugale, n.* 4. *Graffis in suis decision. 1. p. l. 2. c.* 28. *n.* 5. & *c.* 83. *num.* 12. *Vega 2. tom. sum. c.* 129. *cas.* 51. & *cas.* 118. *punct.* 2.

5 Sed an hoc extendendum sit ad professos, vel sacris initiatos, qui ex dispensatione Pontificia absque legitima causa concessa matrimonium iniere, ut possit cum eis Episcopus dispensare, dixi disp. 8. num. 10.

6 Rursus dubitabis, an hæc facultas Episcopi protendatur etiam ad dispensandum in petitione debiti cum eo, qui post votum castitatis contraxit matr. nondum tamen illud consummavit? Decisio pendet ex ea quæstione, an hic teneatur tunc ratione voti castitatis implendi, ingredi religionem? Et DD. teneri asserentes, quos referam lib. seq. disp. 54. n. 2. tenentur subinde dicere non posse tunc Episcopum dispensare. Quia hac ratione nequit Episcopus dispensare cum eo, qui post votum religionis matrimonium iniit, ut possit consummare: (ut bene ait *Sotus 4. d. 38. q. 2. col. 6. vers. Quid autem remedii*:) quia ille potest adhuc implere votum ingrediendo religionem. Et ita hanc partem sustinet *Azor* in quodam simili *lib. 1. instit. moral. c. 19. q. 20. vers. Sed dubie quæstionis est*. At retenta opinione nostra, quam sustinebimus lib. seq. disp. 34. n. 8. dicenti hunc non teneri ingredi religionem, sed posse consummare reddendo, dicendum est posse Episcopum dispensare ut debitum petat. Sicut id potest matrimonio semel consummato. Quia similiter tenetur debitum reddere, nisi religionis ingressum eligat, ad quem minime obligatur. Ac proinde verisabitur in magno incontinentiæ periculo, petitione debiti sibi interdicta. Et ita sustinent *Manuel 1. to. summ. 2. edit. c.* 242. *n.* 2. Et similiter posset Episcopus dispensare in hac debiti petitione, aut redditione priori bimestri, quo ante consummationem reddere non tenetur: vel si cum iple vovens sit innocens, alter conjux sit adulter. Quamvis enim in his casibus nec teneatur nec possit licite reddere debitum: cum tamen non teneatur religionem ingredi, quo castitatis votum impleat, nec possit ad alias nuptias transire, in magno incontinentiæ verisabitur periculo. Nec consuetudo ratione necessitatis inducta ad dispensandum in hac debiti petitione, restringenda est, ne in his casibus similis necessitatis possit. Idem dicerem, quando hic voto castitatis adtrictus ad matrimonium transiret animo ingrediendi religionem. Cum enim is animus non obliget ad ingressum, sed liberum sit ei matr. inito non ingredi, sed id consummare reddendo; (ut probavi lib. 1. disp. 43. nu. 9.) eadem ratio militat, ut possit cum illo Episcopus dispensare ad petendum.

7 Ex his deducitur, minime necessarium esse conjugere in his eventibus ad habentes ex privilegio Pontificio facultatem dispensandi. Quippe ratione dictæ consuetudinis, id potest Episcopus præsente Papa: nedum illis. Sicut disp. 9. num. 27. diximus posse parochos ratione consuetudinis dispensare in una vel altera jejunii die, etiamsi præsens esset Episcopus.

8 Quando autem vota hæc castitatis sunt post matr. emissa, qualiter circa ea, ac debiti petitionem, possit Episcopus dispensare, satis diximus tota disp. præced. An autem possit in hac debiti petitione dispensare per bullam Cruciatam? dicemus disp. 15. Et an possit per religiosorum privilegia? dicemus late disp. 16.

9 Tandem id monuerim, non posse Episcopum dispensare omnino in voto castitatis, cum eo, qui post illud matr. contraxit, sed tantum ad petendum debitum. Quia necessitas matr. jam initi nil aliud postulat, nec consuetudo aliud obtinuit. Quare non obstante dispensatione hic fornicando sacrilegus erit: & transeundo ad aliud matr. post illud dissolutum. Quia non potest Episcopus in his votis dispensare quoad eos effectus. Sic *Sotus 4. dist. 38. qu. 2. a. 1. col. penult. vers. Reddere etiam, Guttier. & Bart. a Ledes. n. 2. allegati*. Quare si hic soluto matr. ad aliud transeat, nova Episcopi dispensatione egebit ad petendum debitum. Quippe prior dispensatio sicut nec ad aliud matr. ita nec ad ejus usum extendi potuit.

10 Quæstio II. An possit Episcopus ad petendum debitum dispensare cum conjuge, cui debiti petitio est interdictum, ratione affinititatis contractæ cum altero conjuge? Quibusdam placet eam dispensationem soluis esse Pontificis. Ducuntur, quod id impedimentum oriatur ex affinitate inter conjuges contracta, in qua solus Papa dispensat. Secundum quod præceptum abstinendi tunc a debiti petitione oriatur a jure Pontificio, *cap. Transmissa, de eo qui cogn. consang.* & nec ibi nec alibi concedatur Episcopo potestas in eo dispensandi. Ergo Episcopus tanquam inferior nequibit in eo dispensare. Sic sustinent *Covar. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 2. n. 6. ad fin. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. n.* 103. *Graffis 1. p. decis. l. 2. c.* 83. *n.* 12. Et dubius manet *D. Anton. 3. p. t. 1. c.* 20. §. 8. Idem sustinent quando est proprie incestus, ut quia conjux jam consummato matr. habuit rem cum persona sui conjugis consanguinea, nisi id possit Episcopus ratione juventutis, *Angel. v. Incestus, num. 5. Sylv. v. Luxuria, q* 4. *d.* 5. fatentur tamen posse, quando non est proprie incestus. Ut quia copula ante matrim. consummatum habita fuit.

11 Alii sustinent eamdem partem, cum quadam tamen limitatione. Dicunt enim non posse Episcopum dispensare, nisi in casu necessitatis, eo quod non pateat facilis aditus ad Pontificem, sitque incontinentiæ periculum. Quia in hac necessitate potest Episcopus in lege Pontificia dispensare. Hujus sent. sunt *Sylv. v. Debitum, q. 9. fin. Margarita confess. in 6. præcep. vers. 11. fol. 89. Guttier. qu. canon. l. 1. c. 23. n. 17. Lud. Lopez 1. p. instr. c. 80. col. 3. vers. Sed connumerare, & c. 296. ad fin. & 2. par.* ubi de matrim. *cap. ult. col. antepen. vers. Jam, & illam*. Et quando copula illa est scelestissima, ut cum socru vel sorore uxoris, tenent *Sotus 4. d. 37. qu. un. art. 3. col. 3. v. Debet autem, Graffis 1. part. decis. l. 2. c.* 81. *n.* 3.

Quare juxta hanc sententiam dicendum est, cum hodie 12 possit Commissarius Cruciatæ in hoc dispensare, si pateat aditus ad eum, nequibit Episcopus (sicut in simili diximus nu. 3.) Quia jam necessitas cessat. Et ita sustinet *Lud. Lopez 1. part. instr. cap. 80. col. 3. vers. Sed an modo, & vers. seq.* Nisi (inquit) commissarius nolit absque compositione dispensare, quam conjux præ paupertate non est solvendo: & idem sustinet *2. part. instr.* ubi eum retuli num. præced. Imo hodie retenta hac sententia fere numquam poterit Episcopus dispensare. Cum facillimus ad religiosos mendicantes sit aditus, quos in hoc dispensare posse dicemus disp. 16.

At tanquam multo probabilius est tenendum, posse semper 13 Episcopum in hoc dispensare. Quia quamvis rigore juris attento nequeat (ut probant rationes adductæ nu. 10.) at ratione consuetudinis jam præscriptæ id potest (ut in simili diximus de voto, n. 4.) Atque praxis ipsa id testatur: passim enim Episcopi in hoc dispensant. Et ita hanc partem sustinent *Paludan. 4. d. 42. q. 1. art. 3. concl. 2. n. 28. & concl. 3. n. 29. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 11. in princ. col. 3. vers. Nota etiam, & cap.* 15. §. 3. & *c.* 16. §. 4. & *c.* 19. §. 3. & dicens forte id esse verum, *Sotus 4. d.* 37. *q. un. art.* 2. *col.* 4. *vers. Dubium autem*, & clare significat *lib. 1. de justit. q. 7. art. 3. col.* 4. dicit enim posse Episcopum dispensare præsertim cum non sit aditus ad Pontificem, *Ledes. 2. p. 4. q.* 55. *art.* 1. *vers. Sed hæsitabis Veracr. 1. part. Speculi, art.* 25. *vers. Dixi etiam, & art.* 50. *ad fin. & 3. p. art.* 17. *fin. Cordub. in suo qu. l. 1. q.* 12. *art.* 2. *d.* 4. & 5. *Palac. 4. d.* 34. *disp.* 2. *col.* 11. *vers. Es quamquam Metina 1. 2. q.* 97. *art.* 4. *in fin. 3. concl. Alex. in suo Enchir. præcept.* 6. *in* 5. *specie luxuriæ, quæ est incestus, in fine, Ovand. 4. d.* 41. *qu. un. prop.* 13. *Pedroza summ. præcep.* 6. §. 19. *Toledo lib.* 5. *summ. c.* 12. *num.* 6. *Enriq. lib.* 11. *de matrim. cap.* 15. *n.* 11. *fin. Emm. Sa summ. v. Debitum, nu.* 13. *Valentia 4. p. disp.* 10. *q.* 5. *punct.* 5. *fin. Petr. de Ledes. de matrim. q.* 58. *art.* 4. *dub.* 2. *vers. in hujus rei explicationem, Barth. a Ledesm. de matrim. dub.* 41. *col.* 3. *post* 2. *conclus. Manuel 1. tom. summ. 2. edit. cap.* 243. *n.* 12. & *in bulla Cruciatæ, §.* 13. *n* 7. & *addit. ad eumdem §.* 13. *n.* 17. *Vivald. candel sacram 1. part.* ubi de matrim. *num.* 210. *Sorbus in compend. privil. mendicant. v. Absolutio quoad seculares 2. in resolut. quas ibi ponit, ver. Tertio advertendum est, fol.* 75. *Vega 2. tom. summ. c.* 5. *cas.* 1. *fin. Cannedo summ. Sacram.* ubi de matrim. *cap.* 6. *in impedimento affinitatis, n.* 45. Et ex Jurisperitis, *Sylv. v. Matrim.* 8. *qu.* 15. *dib.* 7. *Armilla v. Dispensare, num.* 18. *Gatta c. Ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 408. & 502. *Anton. Cucus lib.* 5. *instit. majorum, tit.* 11. *num.* 124. *Gallego de cognat. spirit. cap.* 19. *num.* 14. *Hugol. de matrim. cap.* 20. *fine*. Et hoc est verum, quamvis affinitas illa contrahatur ante matrim. consummatum. Sic docent *Paludad. q.* 1. *art.* 3. *n.* 19. *D. Anton. 3. p. t.* 1. *cap.* 11. *in princip. col.* 3. *vers. Nota etiam, Sotus* dicens forte ita esse 4. *d.* 37. *q. un. art.* 3. *col.* 4. *vers. Dubium autem, Sylv. Alex. Bart. a Ledes. prox. allegati*.

Hinc deducitur, posse Episcopum in hoc dispensare, quam- 14 vis ad quoscumque potentes dispensare sit facillimus aditus. Quod hæc potestas quamvis ordinem duxerit ex necessitate medendi periculo incontinentiæ conjugum, at jam ea potestas ex consuetudine præscripta venit absolute Episcopis, ut in num. præc. probavimus.

Quæstio ultima, An possit Episcopus dispensare cum con- 15 juge ad petendum debitum, qui cum suo conjuge contraxit cognationem spiritualem? Quamvis neminem viderim, qui id neget: at videntur posse esse opiniones eædem, quæ nu. 10. & 11. relatæ sunt circa affinitatis impedimentum, quod impedimentum quoque hoc ex jure Pontificio habeatur *cap.* 1. *de cognat. spirit.* nisi dicamus ideo neminem contrarium dixisse: quia est valde dubium an cognatio spiritualis superveniens matrimonio, impediat debiti petitionem. Verum supposito impedimento, dicendum est posse Episcopum dispensare. Quod id consuetudine præcripta obtentum sit. Atque ita docent *Palud.* dicens forte ita esse *4. d.* 42. *q.* 1. *concl.* 1. *n.* 6. *D. Anton. 3. p. tit.* 1. *c.* 15. §. 3. *Ledes. 2. p. 4. q.* 85. *art.* 7. *fin. Veracr. 1. par. Speculi, art.* 57. *vers. Sed contra illam, Valentia 4. p.* 2. *pun.* 2. *ad fin.* & *disp.* 10. *q.* 5. *pun.* 5. *fin. Emm. Sa summ. v. Matrimonium* ubi de impedimentis dirimentibus, *numer.* 5. *vers. Si pater, Barth. a Ledesm. de matrim. dub.* 44. *col.* 3. *vers. De usu vero, Lud. Lopez 1. part. instr. cap.* 85. *col.* 2. *vers. Præterea si conjux, Graffis 1. p. decis. l. 2. c.* 83. *n.* 12. *Manuel addit. ad bullam, §.* 13. *n.* 17. Et ex jurisperitis, *Rosella v. Impediment. impedim.* 6 *n.* 6. *Angel. v. Matrim.* 3. *imped.* 7. *init. Sylv. v. Matrim.* 6. *qu.* 7. *dif.* 2. *fine, Navar. summ. Latina c.* 16. *num.* 34. *vers. Interrogatus autem, Gatta cap. Ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 379. *fine, Gallego de cogn. spirit. c.* 19. *n.* 13. *Matienzo lib.* 5. *recop. t.* 1. *rubr. gl.* 1. *nu.* 143. & omnes quos viderim.

16 Quid autem possit Commissarius Cruciatæ circa dispensationem ad petendum debitum hoc duplici impedimento, dicemus disp. 15. & quid religiosi circa hoc per sua privilegia, dicemus disp. 16.

DISPUTATIO XIII.

An in impedimento matr. quod resultat ex juramentis castitatis & religionis, sive absolutis, sive pœnalibus, sive conditionalibus, possit Episcopus dispensare?

SUMMARIUM.

An in his juramentis, quando sunt conditionalia vel pœnalia possit Episcopus dispensare, nu. 1.
Quando sunt absoluta: refertur duplex sententia, n. 2. & 3.
Explicatur an juramenta hæc semper contineant votum implicitum, 4.
Proponitur sententia Auctoris in his juramentis, 5.
An concessis in aliquo privilegio omnibus juramentis, quæ non sunt in tertii præjudicium, & omnibus votis præter castitatis, & religionis, censeantur quoque reservata juramenta castitatis, & religionis, 6.
Quid, si nulla reservatio votorum fieret, sed omnia vota ac juramenta quæ non sunt in tertii præjudicium concederentur: & an censerentur adhuc reservata juramenta religionis, & castitatis, 7.
Satisfit argumentis, 8.

1 QUando hæc juramenta castitatis, & religionis sunt pœnalia vel conditionalia, idem prorsus sentiendum est de illis, quod de votis similibus diximus disp. 10. n. 8. & 13. Quia eadem est ratio. Et qui potest in votis dispensare, potest quoque in juramentis factis ipsi Deo, quæ instar votorum sunt, ut probavi disp. num. 18.

2 Tota autem difficultas eo pertinet, an in his juramentis absolutis possit Episcopus dispensare: an potius censeatur Pontifici reservata, ac vota earumdem rerum? Duplex est sententia. Prior affirmat ea juramenta Pontifici reservari, sicut & similia vota. Ducitur, quod juramentum factum Deo includat votum, (ut bene docent *Sotus lib. 8. de justit. q. a. 9. in solut. ad 2. in fin. Nav. summ. Latina c. 27. n. 275. vers. 16.*) Quod inde constat, nam jurans Petro se daturum ei nummos, id promittit Petro confirmans promissionem testimonio divini nominis. Ergo jurans Deo se reservaturum castitatem, vel ingressurum religionem, id promittit Deo, juramentoque firmat. Et proinde ubi est votum, utpote quod nil aliud est, quam promissio facta Deo. Reservatis ergo votis castitatis ac religionis, censentur a fortiori reservata similia juramenta. Et confirmatur ex doctrina *D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1. in fine corporis*, ubi omne juramentum dividit in assertorium, & promissorium, dicens, esse assertorium, quando inducitur ad confirmandum aliquid præsens aut præteritum: promissorium autem, quando ad confirmandum futurum. 2. quia ex eo juramento acquiritur Deo tanquam creditori, ab ipso jue acceptatur obligatio faciendi aliquid in ejus obsequium. Ergo est promissio perfecta: & cum Deo facta sit, erit votum. Tandem quia si quis hominem promittat se ingressurum religionem, nequit homo ille remittere: quasi promissio non homini, sed Deo facta sit. Sic tenent *Cajet. 2. 2. q. 89. a. 9. paulo post princ. Sotus lib. 8. de justit. qu. 1. a. 9. fine corporis. Alcozer lib. de ludo, c.* 13. *concl.* 9. *in summ. c.* 16. *f. l.* 58. *v. La primieras, Stunica qu.* 5. *de voto, num.* 42. & *qu.* 6. *fine, Manuel 2. tom. summ. c.* 100. *n.* 3. *Toledo sum. c.* 23. *n.* 2. *Azor lib.* 11. *instit. moral. c* 10. *q.* 3. *Aragon. 2. 2. q.* 89. *art.* 12. *col.* 6. *d.* 1. & *q.* 89. *a.* 9. *col.* 3. *d.* 4. *Valentia 2. 2. disp.* 6. *q.* 7. *punct.* 4. *col.* 5. *vers. Et notandum est*.

3 Posterior sent. docet hujusmodi juramenta non esse Pontifici reservata. Ducitur, quia nunquam in facultate concessa circa relaxanda aut commutanda juramenta, excipiuntur hæc, sed sola, quæ in tertii præjudicium vergunt. Nec ex votorum reservatione deducitur sufficienter reservatio juramenti circa eamdem materiam. Cum enim votum sit fortius vinculum juramento. *D. Th. 2. 2. q. 89. a. 8.* quem plerique sequuntur, deducitur argumentum negative a majori ad minus. Ut non potest Episcopus in majori vinculo dispensare; Ergo nec in minori, quod omni prorsus vi destitutum est. Sic tenent *Tabien. in sum. noviori, v. Jurare, q* 20. *num.* 21. *ad fin. Navar. lib.* 2. *conf. tit. de jurejur. in priori edit. conf.* 3. *num.* 4. & 5. *in posteriori, conf.* 1. *n.* 4. & 5. & aliqui neoterici doctissimi.

4 Sed ut meam sent. explicem, suppono juramentum factum Deo de re aliqua ejus honorem concernenti, regulariter continere promissionem factam Deo, ac subinde votum, quod probant argum. n. 2. adducta. At possunt aliquando hæc juramenta fieri, ita ut nullam promissionem Deo factam includant: sed mera sint juramenta. Quia, scilicet, jurans intentione caruit promittendi ac offerendi aliquid Deo, sed solum per juramentum quasi assertorium, id se facturum affirmavit, ut bene docet *Lud Lop. 2. p. instr.* ubi de clavibus *c. 9. col.* 6. & melius *Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 2. paulo post princ.* ubi ait, sicut enunciatio de futuro potest esse conjuncta, & cum nudo proposito faciendi id, quod quis dicit se facturum; & etiam cum promissione faciendi id: ita quoque juramentum posse induci, vel ad confirmandum nudum propositum, vel ad promissionem confirmandam; communiter tamen induci ad promissionem confirmandum, & sic dici promissorium. Quare id juramentum dicetur promissorium imperfecte, & secundum quid, ut distinguitur contra mere assertorium: quod proprie est de præterito aut præsenti. Nec tunc jurans obligatur Deo tanquam creditori acceptanti materiam illam, ut rem sibi promissam, sed ut testi exigenti veritatem sui testimonii, deficit autem a vera promissione, eo quod non sit obligatio pacto firmata. Exemplum hujus esto, quando quis non respiciendo Deum, quasi aliquid volens illi offerre in suum obsequium, sed solum eum afferre in testem, se ad aliquid faciendum jurejurando astringit. Veluti contingit in eo, qui non impulsus Deo obsequendi desiderio, sed quasi desperans quod videat a se ignominiosam aut pauperem vitam in sæculo ducendam: quia cathedram aut beneficium, cui se opposuerat, amisit: vel aliud dedecus passus est, jurat fore ut ingrediatur religionem: vel quando ita percitus erga patrem, id illi jurat. Et quamvis hoc in voto religionis frequentius accidat: potest tamen in voto castitatis quandoque contingere. Ut si quis mirum in modum consequendi alicujus matrimonii avidus, spe ejus obtinendi amissa, intra se castitatem servaturum proponit, non intendens eam Deo in ejus famulatum dicare, sed præ rabie ac indignatione, eo quod conjugium intentum votis suis non responderit. Sed objicies idem quoque posse contingere in promissione per modum voti facta. Ut si in eisdem exemplis quis sic diceret, Promitto Deo religionem. Sed respondeo esse apertam differentiam. Quod in hoc exemplo adfit expressis verbis facta Deo promissio: nec Deus alio modo adducatur, quam ut verus creditor promissionis sibi factæ. At in illis exemplis nulla expressa promissio adest, nec animus promittendi; sed solum adducendi Dei in testem illius assertionis de futuro quæ quodammodo, & imperfecte est promissio.

Hinc deducitur solutio quæstionis propositæ. Quippe existimo 5 priorem sententiam nu. 2. relatam veram esse regulariter; & in plurimum. Quia regulariter ea juramenta votum continent: & ita fortius vinculum; quam solum votum. At posterior sententia num. 3. relata, est vera in casu raro, quem num. præced. explicui, quando id juramentum non includit in se votum. Quod tunc sit minus vinculum quam votum, ac proinde non probatur ejus reservatio ex reservatione voti ejusdem materiæ, ut bene probavit posterior sententia.

Secundo deducitur, quoties privilegium concedat relaxari, 6 aut commutari omnia juramenta in tertii damnum non cedentia, & omnia vota præter castitatis, & religionis, censeri sub ea votorum reservatione reservari quoque ejusdem materiæ juramenta, quoties hæc promissionem continent: secus ubi ea vacant. Et ita conciliantur diversæ sententiæ, quæ inter viros doctos nostræ Soc. circa hoc extitere, quibusdam reservari asserentibus, aliis vero negantibus.

Tertio deducitur, quamvis in bulla concederentur omnia 7 vota & juramenta, quæ non sunt in tertii præjudicium, nulla votorum reservatione facta, censeri adhuc reservata juramenta castitatis ac religionis, in quibus promissio continetur: secus quando non continetur. Quia in nulla generali concessione censentur concessa vota religionis & castitatis, nisi exprimantur (ut diximus disp. 9. nu. 2.) Quare a fortiori nec juramenta earumdem rerum promissionem continentia censebuntur concessa.

Ad argum. nu. 2. proposita quatenus militant contra nostram 8 sententiam respondetur. Ad 1. dic id concludere, juramentum illud castitatis, emissum in Dei honorem includere votum, & ita reservari Pontifici. Quod nos num. 5. fassi sumus. Ad confirm. dic eam probare, omne juramentum de futuro esse promissorium saltem imperfecte, ut distinguitur contra assertorium, quod num. 4 concessimus. Ad 2. constat ex dictis num. 4. ubi quando id sit verum, explicuimus. Ad ultimum fateor hominem non posse relaxare, eo quod promissio illa non cedat in ejus favorem: non autem quod semper includatur promissio facta Deo. Ad argum. nu. 3. adductum quatenus etiam adversatur nostræ sententiæ mediæ, constat ex dictis nu. 4. & 5. ubi explicuimus quando juramentum sit minus, & quando fortius voto.

DISPUTATIO XIV.

An Episcopis dispensantibus integrum sit aliquam mulctam pecuniariam imponere: atque possint dispensare, licet impetrans prius adjerit Pontificem, sive hic concesserit, sive denegarit: sive non adjerit, at novit Episcopus Pontificem denegare?

SUMMARIUM.

Quando dispensant in votis, vel sua lege, possunt imponere mulctam pecuniariam, num. 1.

Quid,

Quid, quando dispensant in lege superioris, nu. 2.
An possit Episcopus dispensare in voto sibi concesso, quando prius aditus est Pontifex, ac concessit dispensationem, 3.
Quid, si jam virtute ejus commissionis Ordinarius vel confessor dispensasset, 4.
Quid, quando Pontifex in eo casu denegavit huic dispensationem, vel novit Episcopus, solere denegare, 5.
Quid in hoc casu, quando Pontificio decreto esset commissa dispensatio in perpetuum dignitati Episcopali: vel tacita esset commissio ratione urgentis necessitatis, 6.
Quid, quando confessor virtute bullæ, aut privilegii religionis potest dispensare, 7.
Quid, si Episcopus vel confessor negavit remittens ad Papam, 8.
An tunc dicatur casus occultus, 9.

1 DUo petit disputatio præsens. Prius est, de potestate Episcopi ad imponendam aliquam mulctam iis cum quibus dispensat, per modum partialis cujusdam dispensationis commutationi admixtæ. Posterius de facultate ejusdem ad dispensandum, quando prius est aditus Pontifex. Circa prius, manifestum est, id posse, quoties dispensat in voto: imo omnes fatentur tanum esse consilium non omnino dispensare, sed aliquam commutationem admiscere. Idemque posse quoties in sua lege dispensat, nemo merito dubitare potest. Quod cum ea lex a sua voluntate proficiscatur, vimque obligandi habeat, potest ex justa causa in ea dispensare, partim relaxando, & partim in aliquam eleemosynam commutando. Sicut potest & quotidie facit circa suas leges.

2 Sed difficultas est, an id ei liceat, dum in lege superioris in casu sibi promisso dispensat? ut in jejunio, observatione festorum. De qua re egi lib. 3. disp. 10. a nu. 8. ubi id negavi, illud admittens in voto. Et nunc in eadem sent. persisto. Quia rationes quibus id probavi sunt urgentes. At non sunt damnandi judices Ecclesiastici hanc mulctam per modum cujusdam commutationis impotentes. Quia innituntur sententiæ probabili gravissimorum Auctorum. Et rationibus ibi a me adductis potest responderi, hoc posse ex tacita commissione. Nam eo ipso quod Episcopis tanquam Ordinariis ea commissio demandatur, aut expresse aut tacite ratione urgentis necessitatis, censetur commissum vel ut integre dispensent, vel aliqua commutatione admixta. Et ita hanc partem sustinent dicentes, casu quo potest Episcopus in jejunio dispensare, posse eum illud commutare in aliud opus pium, partim dispensando, *Innoc. c. 1 n. 2. de observ. jejun. & ibi Enrico. n. 2. Hostien. rubr. eod. tit. n. 9.* ubi *Joan. And. r. num. 3 Ant. n. 5. Card. n. 3. q. 5. Abbas num. 9. Anchar. n. 8. Paludan 4. dist. 15. q. 4. art. 1. nu. 13. D. Anton. 2. part. tit. 6. c. 2. §. 5. Calet. 1. 2. q. 97. art. 4. ad fin. & Sum. verb. Jejunium cap. 3. ad fin.* ubi *Rosella nu. 25. Angelus n. 20. Sylv. q. 7. dist. 2. n. 15. Armilla n. 6. Tabiena q. 14. n. 15. Navar. summ. cap. 21. Hisp. num. 21. Latina num. 22. Angles Floribus, 1. part.* tibi de jejunio, *quæst. 5. differ. 3. Azor lib. 7. institut. moral. cap. 29. quæst. 5. Vega 1. tom. summ. cap. 14 cas. 36.* Non tamen hoc ita accipiendum est, ac quando Episcopus in voto. Quippe in hoc potest partim commutando dispensare, licet causa omnino dispensandi non adsit. Quia idem vinculum voti manet super materia loco prioris subrogata: ac vinculum id voti potest absque ejus injuria omnino commutari. At in lege superioris non potest dispensare admixta commutatione, quando constat non adesse causam justam ad plene dispensandum. Quod tunc omnino relaxetur ea lex, non enim eadem lex potest in aliam materiam transferri, nisi per legislatorem. Nec datur inferioribus in ea dispensandi facultas, nisi quando necessitas causæ urget. Quod minime evenit, quoties constat non esse causam omnino dispensandi justam. Dixi quoties constat, nam in dubio fatentur omnes posse plene dispensare: imo in hoc casu est opus dispensatione. Nam ubi causa a præcepto excusans constat, ea non est opus.

3 Circa posterius quæsitum, ratio dubitandi potest esse, quod ea dispensatione semel petita a superiori, videtur jam in ea causa per superiorem præventum, & sic nil posse circa illam inferiorem. Prima tamen conclusio sit. Quando Episcopus potest jure ordinario in aliqua re dispensare, ut in voto pœnali castitatis, vel non nubendi, quamvis obtenta sit a Pontifice commissio facta Ordinario, vel Confessori, ut dispenset, potest vovens ei renuntiare, & adire Episcopum, ut potestate sua ordinaria dispenset. Quia cum ea commissio sit ob voventis gratiam ac favorem concessa, non debet in ejus damnum retorqueri. *Regula quod ob gratiam, de regul. juris, in 6. l. Quod favore, Cod. de legib.* Nec ob id interdicitur impetranti posse favore filii concesso cedere. Item, quia adire Principem ad petendam rem aliquam, nullum præventionis effectum operatur, ne liceat postea id ab inferiori petere, *lib. 1. & toto C. quando libellus, & ibi DD.* Atque ita generaliter etiam in rescriptis justitiæ tradit *Navar. lib. 1. cons. in 2. edit. tit de offic. delegat cons. 1. num. 2.* An vero teneatur facere mentionem prioris dispensationis, dicam num. seq.

4 II. Conclusio. Idem credo, quamvis jam virtute ejus commissionis Ordinarius vel confessarius in eo voto dispensasset, partim commutando, juxta Pontificis præscriptum. Posset enim hic vel ab Ordinario petere, ut auctoritate ordinaria in ea commutatione dispenset: juxta dicta disp. 9. n. 20. etiam quando votum commutatum erat ex reservatis, nedum quando non est ex illis, ut hic contingit, vel potest etiam eligere redire ad priorem voti obligationem (ut diximus disp. 9. n. 21.) & petere ab Ordinario, ut dispenset in illo auctoritate sua ordinaria. Quia tunc est novum votum omnino. At in novo tunc emisso manifestum est posse Episcopum dispensare, nec opus esse mentionem prioris dispensationis limitatæ facere per Pontificem, cum sint circa diversa. Quia prius votum circa illam materiam castitatis jam prorsus extinctum est. Quod si dicas non esse omnino diversum votum; quia alias non liceret ad prius votum redire, cum in melius commutatum est, (cujus contrarium diximus disp. 9. n. 21.) Respondeo dupliciter posse hunc eligere redire ad prius votum: primo modo tanquam ad votum primævum, utendo privilegio, & libertate concessa omnibus, quibus vota commutantur etiam in melius, & tunc non est diversum votum, sed prius, quod non omnino extinctum erat, sed dependenter ab electione voventis redeundi ad illud, vel implendi materiam in quam commutatum est. 2. modo potest redire, non tanquam ad primævum votum, utendo eo privilegio: sed materiam in quam illud commutatum est, quam multo minorem constat esse, utpote cui dispensatio admixta est, iterum commutando in prius illud votum, quasi de novo illud emittendo, quod propria auctoritate a quocumque vovente posse semper fieri fatentur omnes. Et tunc est omnino aliud votum: ac proinde non erit necessaria mentio prioris dispensationis cum limitatione concessæ. Imo quamvis priori modo redeat, & sit idem votum, & in casu præcedentis conclusionis, in quo votum non erat extinctum, cum nondum expedita esset per Ordinarium vel confessorem dispensatio, existimo non esse necessariam mentionem prioris dispensationis, cum limitatione commutationis confuetæ factæ per Pontificem de stylo curiæ, propter illa, quæ trademus disp. 22. num. 10. & 11.

III. Conclusio. Quando Pontifex de eo casu consultus denegavit dispensationem, judicans non esse causam, credo nisi nova causa proponitur, non posse Episcopum. Quia eo ipso quod Pontifex denegavit, videtur facultatem auferre inferioribus cum illo singulari dispensandi, nisi ex nova causa emergenti. At secus esset, ubi huic singulari non denegasset: at si constat solitum esse Pontificem aliis denegare ob eas causas dispensationem, reputando eas non esse justas; tunc enim posset Episcop. cum illo, cui denegata est judicans eas esse causas justas, dispensare. Quia cum jure ordinario sibi ea dispensatio competat, non astringitur ad dispensandum ex iis solis causis, quibus Pontif. existentibus vult dispensare. Nec Pontificem denegasse aliis ex ea causa dispensationem, ligat ordinariam Episcopi facultatem, ne valeat dispensare cum hoc, cui Pontifex non denegavit. 5

IV. Conclusio. Quando Episcopi dispensant ex commissione expressa annexa perpetuo dignitati, ut contingit in casibus *Trid. sess. 24. de reform. c. 6.* non astringitur ad dispensandum ex solis causis, ex quibus solet Pontifex dispensare. Quare licet norit Papam nolle dispensare ex aliquibus causis, & aliis denegasse, potest cum hoc, cui non denegavit, dispensare ex iis causis, si eas justas judicat, ut n. præc. dicebamus, quando dispensat potestate ordinaria. Quod hæc tanquam jure concessa, ac dignitati perpetuo annexa, sit ordinaria, (ut probavi lib. 2. disp. 40. 14.) Imo idem censerem, quando ex commissione speciali Pontificia dispensaret. Cum enim Pontifex non assignet causas, ex quibus commissarius dispenset, solum astringit illum, ut ex justa causa dispenset, ejus prudentiæ committens discernere, quæ sit justa causa. Exemplum hujus nu. seq. proponam. Secus esset quando ex sola epicheja dispensat Episcopus, ut in casu necessitatis ratione periculi in mora. Cum enim tunc ex sola præsumpta Pontificis voluntate dispenset, ubi de contraria voluntate constat, cessat præsumptio cui epicheja innititur. At posset utique quando Papa aliquando concederet, licet aliquando neget. Quia tunc non est contraria voluntas. 6

V. Conclusio. Sicut diximus nu. 3. & 4. posse eum, qui impetravit dispensationem a Pontifice voti in quo poterat Episcopus ad ipsum confugere, ut dispenset: sic dicendum est posse confugere ad potentem ex privilegio, V. G. fuit votum pœnale castitatis vel religionis, poterat confessarius per bullam Cruciatam commutare: (ut disp. seq. trademus) possunt etiam religiosi id commutare, atque in eo dispensare virtute suorum privilegiorum: (ut dicemus disp. 16.) dico obstare huic facultati impetratam esse a Pontifice commissionem dispensandi factam Ordinario vel confessori. Quia adiisse superiorem, nullum preventionis effectum operatur: & commisso favore hujus facta non debet in ejus damnum retorqueri, (ut hæc nu. 3. probavimus)? Nec jam Ordinarium vel confessorem virtute commissionis dispensasse obstat, quin possit hic adire habentem privilegium dispensandi, aut uti privilegio Cruciatæ, redeundo ad priorem voti obligationem, (ut dicebamus n. 4.) & sic tanquam novi voti possit dispensationem aut commutationem impetrare, non facta prioris mentione. Ob rationem quam eo nu. 4. tradidimus. Et quamvis Pontifex semper hujusmodi vota commutet in menstruas confessiones, & certa pœnitentiæ opera; & solum quando adest incontinentiæ periculum, non impedit commutationem fieri per bullam in subsidium belli, prout ipsa concedit: & per privilegia religionis, in quæcumque opera pia, ut ea expresse concedunt: & virtute horum dispensari ex aliis causis justis, quamvis non adsit incontinentiæ periculum: dummodo huic singulari non sit denegata dispensatio a Pontifice, vel ejus Pœnitentiario, ut nu. præced. juncto num. 5. probavimus. 7

8 Tandem duæ difficultates dissolvendæ supersunt. Prior est, an si quispiam dispensationem petiit ab Episcopo, in casu in quo poterat, vel a religioso virtute privilegiorum, vel commutationem virtute bullæ, qui noluere, sed remisere illum ad Pontificem, an postquam hic se præsentavit Pontifici petens ab eo dispensationem, possint sicut prius poterant Episcopus, religiosi, vel confessor? Et videtur eos non posse. Quod jam definant esse judices, ex quo causam, ad superiorem remisere, ut habetur *cap. Licet, de offic. legati*, & tradunt *ibi glossa, verb. Transtulerat, & ibi Ant. n. 8. Abbas nu. 3. Anchar. n. 2. Imola fine*, & tradunt adeo hoc esse verum, ut nec ex partium consensu possit ea causa semel jam superiori præsentata, ad priorem judicem redire. At dicendum est posse, quamvis jam Pontifex commisisset dispensationem Ordinario vel confessori, & hi jam illam expediissent, (prout nu. 3. 4. & præcedenti, explicuimus.) Quia textus *dict. c. Licet*, & doctrina auctorum ibi allegata, intelligitur in jurisdictione contentiosa, de qua is textus loquitur. Qualis non est jurisdictio dispensandi.

9 Posterior difficultas est. An si impedimentum erat occultum, in quo solum poterat Episcopus dispensare quamdiu occultum est, ut sunt casus concessi in *Trid. sess. 24. de refor. c. 6.* in quibus conceditur facultas Episcopo, quamdiu occulti sunt, nec ad forum contentiosum deducti, possit Episcopus, licet initio noluerit, sed remiserit causam ad Pontificem, cui ille se præsentavit? Videtur non posse, quia jam deducta res illa est ad Pontificis forum. Sed dicendum est posse, quod verbum, Forum, idem sit quod judicium, sive locus ubi judicatur, *cap. Forum, de verb. sign.* Et licet ea dictio forum posita posset aliquam dubitandi arripere; eam tamen prorsus aufert dictio, contentiosum, illi adjuncta. Quippe id appellatur quando lis agitatur inter partes coram judice: ut bene tradit *Felin. c. 1. a n. 39. de constit.*

DISPUTATIO XV.

An per bullam vel jubilæum possint aliquando commutari vota Religionis & castitatis, & alia quæ matr. impediunt, vel dispensari possit ad petendum debitum cum impedimento voti affinitatis, vel cognationis?

SUMMARIUM.

Quæ vota possint per bullam aut jubilæum commutari, & an necessario in belli subsidium commutanda sint, nu. 1.
Proponuntur argumenta probantia in nullo eventu posse hæc vota castitatis & religionis per bullam aut jubilæum commutari, 2.
Hæc vota tunc censentur in bulla vel jubilæo reservari, quando sunt Pontifici reservata, 3.
An possint per hæc commutari votum temporale castitatis, & castitatis conjugalis, non petendi nec reddendi, virginitatis, non nubendi, assumendi ordinis sacri, disjunctivum castitatis vel ordinis, assumendi habitus beatarum, ingrediendi Ordinem militarem, perseverandi in religione, & ut differatur votum religionis, 4.
An possit commutari per hæc votum strictioris religionis in transitum ad laxiorem, 5.
Quid de commutatione earum rerum, in quas Pontifex hæc commutavit, 6.
Quid de votis castitatis post matrimonium emissis, 7.
Quid de votis penalibus ac conditionalibus castitatis & religionis, 8.
Quid de voto castitatis, ad petendum debitum, 9.
Quid, quando potest Episcopus dispensare in his votis ratione solius necessitatis, 10.
Quid de juramentis absolutis aut pœnalibus, conditionalibusve castitatis & religionis: & quando simul concurrunt votum & juramentum, 11.
An possit fieri dicta commutatio, quando prius est aditus Pontifex, ut dispenset in iis votis, sive negarit, sive concesserit: & quamvis confessor nolens commutare, remiserit illum ad Pontificem, cui se præsentavit: & quamvis sciatur Pontificem ex sola certa causa dispensare juncta commutatione in quædam certa opera. Remissive, 12.
Commissarius Cruciatæ an dispenset ad petendum debitum, quando affinitas aut cognatio spiritualis sunt post matrimonium contracta, 13.
An concedente Pontifice facultatem commutandi voti de danda certa eleemosyna, remittentique partem debitæ, nec solutæ, ac obliganti ad solutionem alterius partis, possit pars solvenda remitti ex causa per Episcopum, vel virtute bullæ vel jubilei commutari, & possit per hæc commutari pœna pecuniaria jam incursa ex fractione voti pœnalis, 14.
An tempore jubilei possit confessor commutare sic votum: in id commuto ex nunc, in quod vir doctus judicavit commutandum: & si hic frangat votum, antequam vir doctus declaret, peccet in illud, 15.

An transacto jubilæo possint commutari vota, quorum quis immemor commutationem non petiit, si confessor generaliter vota commutarit, 16.
Quid, si ea commutatio generalis non facta est, 17.
Quid, si voti memor nolit commutationem petere, 18.
Quid, si tempore jubilæi hic non est factus, quod non invenerit in se culpam aliquam lethalem, 19.
An si intendebat lucrari jubilæum, quem postea non obtinuit, reincidat in excommunicationes reservatas, a quibus est absolutus, 20.
An si oblitus tunc sit alicujus, extincta maneat reservatio, num. 21.
An revivisceant vota virtute illius commutata, quamvis confessor commutarit in ea quæ vir doctus præscripserit, 22.
Quid, si nulla commutatio facta sit tempore jubilei, 23.
Quam culpam committat hic non lucrans postea jubilæum, 24.
An commutatio hæc virtute bullæ vel jubilei debeat necessario in confessione sacramentali fieri, 25.

PRæmittenda est clausula bullæ hanc commutationem votorum concedens, & clausula jubilæi: Clausula bullæ Cruciatæ sic se habet: *Possint eligere confessorem ex approbatis ab Ordinario & ab eo quorumcumque peccatorum & censurarum, &c. absolutionem recipere: & illis vota omnia, ultra marino, castitatis & religionis dumtaxat exceptis, in aliquod subsidium hujus expeditionis per eumdem confessorem commutari possint.* Clausula vero jubilæi plenissimi, qui solet concedi petitis tribus diebus jejunii, confessione, communione, oratione, & eleemosyna, hic se habet: *Possint approbatos presbyteros eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis licite valeant ipsos a quibuvis peccatis, criminalibus, censuris, &c. absolvere: ac vota quæcumque ab eis emissa, castitatis & religionis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.* Quare constat ampliorem esse clausulam jubilæi clausula bullæ. Per hanc enim non conceduntur vota Jerosolymitanæ peregrinationis & religionis ac castitatis, cetera vero reservata conceduntur. Nec commutatio in quodcumque opus pium, conceditur, sed in subsidium belli. Per illam vero conceduntur omnia vota, demptis solis castitatis, & religionis: & conceditur commutatio in quodcumque opus pium. Sed circa illam bullæ clausulam est difficultas de quo subsidio intelligatur, *Vivald. candé ab. Sacram. 3 part. cap. 14. num. 39.* refert Doctorem Deza e Societate Jesu virum doctissimum se præsente in prælectionibus publicis Compluti legisse, posse virtute bullæ commutari vota in subsidium spirituale belli, quales sunt orationes pro felici belli eventu. Quod bulla absolute dicat, in subsidium belli: nec minoris efficaciæ sit spirituale, sed majoris. Et *ipse Vivaldus*, dicit hoc esse probabile. Idem tenet *Llamas methodo curationis, 3. part. cap. 4. §. 42. ad fin.* limitans quando vota sunt personalia, & vovens ita pauper est, ut non sit subsidio temporali grogando. Et *Ant. Gom. in bulla Cruciata, clausul. 10. n. 54.* dicit posse virtute bullæ commutari vota in subsidium belli, vel aliud opus pium, si vovens pauper sit. Sed jure optimo hoc reprobat late *Manuel addit. ad Cruciatam, §. 9. nu. 109.* dicens nomine subsidii intelligi temporale. Quod & fatentur omnes DD. statim allegandi: & praxis ipsa satis testatur. Atque cum bulla orationibus contenta est, id expresse dicit, ut constat ex aliis ejusdem bullæ clausulis. At major difficultas est, an tota commutatio debeat esse in id belli subsidium. Id enim necessarium videtur: quia non amplius bulla concedit, quam in subsidium belli commutare. Et ita affirmant *Sotus lib. 7. de justit. quæst. 4 art. 3. ad fin. corporis, vers. Ruesus circa ead. Arag. 2. 2. quæst. 88. artic. 12. col. 5. vers. Et ad argumentum, Lud. Lop. 2. part. instr.* ubi de clavibus, *cap. 9. ad fin.* Et sunt clare ejusdem sententiæ, alii dicentes hanc commutationem faciendam in temporale belli subsidium. Hi sunt *Navar. summ. Latin. cap. 12. num. 80. vers. Admonemus insuper, Hisp. cap. 28. addit. ad nu. eumdem, Cordub. summ. q. 149. 150. Angles Floribus 2. part.* ubi de voto, *qu. unica, art. 8. diffic. 7. Garnica in exposit. bullæ, fol. 44. Vega 2. tom. summ. cap. 129. cas. 106. Manuel in bulla Cruciat. §. 9. num. 109. & addit. ad eumdem §. n. 109. Lud. Lopez 1. part. instr. cap. 50. col. 3. v. Commutatio voti.* At probabilius mihi est posse virtute ejus bullæ vota commutari, partim in temporale belli subsidium: & partim in alia quævis pietatis opera. Quod non obscure significant verba ipsius bullæ, ibi: *In aliquod subsidium hujus expeditionis commutari.* Quasi dicat aliquam commutationis partem debere esse in eleemosynam pro belli expeditione. Et hanc esse mentem, vel inde colligitur, quod sic major quantitas in id subsidium congeretur, quæ Regis Hispaniæ bullam impetrantis intentio est. Quippe si commutatio sit necessario facienda omnino in id subsidium, rari utentur eo privilegio: quia vel carebunt pecunia æquali bonitari rei promissæ. (Sic enim est facienda commutatio, cum nulla conceditur dispensandi potestas.) Vel nolent tantam pecuniæ quantitatem contribuere. Et confirmatur, quia hac ratione concedit Pontifex una cum bulla Cruciata bullam compositionis, contentus minori multo summa, quam revera est debita, ut vel sic illa remissione attracti debitores incertorum contribuant partem in ejusdem belli subsidium. Et ideo hanc partem sustinent *Enrig. lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 6. Vival. candel. Sacram. 3. part. cap. 14. num. 39.* & alii viri doctissimi neoterici. Et apertis verbis idem sentit *Azor lib. 11. institut. moral.*

moral.c. 18.*q.9.fin.* quærens enim quid factorus sit pauper carens pecuniis ad bullæ commutationem, respondet oportere, ut det eleemosynam exiguam paupertati parem. At si necessario esset commutatio facienda omnino in hanc eleemosynam, non posset hic gaudere eo bullæ privilegio: sicut nec potest bulla frui, si careat nummis necessariis ad eam accipiendam. Non tamen existimo sufficere minimam pecuniæ quantitatem, facta reliqua commutatione in opera pia. Quia videtur id intentioni bullæ adversari, quæ potius spectavit commutationem in id belli subsidium: sed eam prudentis confessoris arbitrio librandam inspectis gravitate voti commutandi ac facultatibus voventis. Et has potius attendendas credo, ut expressè significat Azor in verbis ex ipso proxime citatis. Quia mens Pontificis est, ut omnes accipientes bullam eo privilegio frui possint, contributa aliqua eleemosyna, paupertati pari: ut vel sic copiosior ex multis eleemosynis, quibusdam minutis, aliis vero grossioribus, in belli expeditionem cogatur,

2 Hoc præmisso videtur in nullo eventu vota pertinentia ad castitatem & religionem, quamvis a vera perfectione deficiant, & ideo Episcopi dispensationi subdantur, posse commutari virtute bullæ vel jubilæi. Quod ideo possit Episcopus in illis dispensare, quia secluso reservatione poterat jure communi attento, & ideo reservatio, tanquam jus ejus auferens fit odiosa ac restringenda, (ut diximus disp. 9. num. 3. & 5.) Quæ ratio nullatenus militat in his privilegiis, nam iis secluſis commutatorus nil poterat: atque privilegia hæc nil circa ea vota concedunt: imo expressè illa excipiuntur in eis. Non ergo est cur dicamus eam exceptionem restringendam esse ad vota absoluta, & omnino perfecta castitatis ac religionis. Et confirm. quia privilegia hæc bullæ, & jubilæi sunt tanquam odiosa stricte intelligenda, (ut probavi disp.2. nu.7.) At maxima esset hæc extensio.

3 Verum quamvis hæ rationes non modicum urgeant, dicendum est posse virtute bullæ vel jubilæi hæc vota commutari, quoties ita a vera votorum castitatis ac religionis perfectione deficiunt, ut possit in eis Episcopus dispensare. Quia aperta Pontificis mens est, in ea exceptione vota hæc reservare, in solo casu, in quo Pontifici reservantur. Et ita praxis explicuit, & constabit ex corollariis statim inferendis. At quando de concedentis mente constat, extendenda est dispensatio quantumvis odiosa ad eos casus, (ut dixi disp. 1. nu. 11.) Et confirm. quia hæc vota non sunt in jure reservata, sed eorum reservatio inde deducitur, quod in his privilegiis, ac similibus concedentibus commutationem aut dispensationem votorum, semper hæc vota excipiantur, (ut diximus disp. 6. nu. 1.) Ergo eo modo, quo in his privilegiis excipiuntur, sunt reservata Papæ, nec potest in eis Episcopus dispensare. Signum ergo apertum est, per hanc exceptionem non excludi ea vota, quoties non censentur Papæ reservata.

4 Hinc deducitur posse per bullam vel jubilæum commutari votum temporale castitatis, ut ad annum vel aliud tempus limitatum. Et docent loquentes de bulla *Enriq. lib.7. de indulg.c.* 30.*n.6. Vega* 2.*to.summ.c.*129.*cas.*34. *Manuel in bulla Cruciatæ*, §. 9. *n.* 110. Et similiter votum castitatis conjugalis. Et votum non petendi debiti, etiam ex alterius conjugis licentia facti: imo quando uterque conjux communi consensu voveret nec petere nec reddere. Et loquens de voto non petendi, & per bullam, docet *Manuel* 2.*to.sum.c.*90.*n.*3. Et votum virginitatis servandæ, quando constaret non esse castitatis, sed solius integritatis corporis servandæ. Similiter votum non nubendi. Et docent *Enriquez lib.7. de indulg. c.*30.*n.6. Manuel* 3.*tom. summ.cap.*96.*n.*2. & 5. *& in bulla Cruciatæ*, §.9. *nu.* 121. *Ludov. Lopez* 2.*part. instr.* ubi de clavibus, *cap.* 9. *col.* 10. *vers. Adde Lopez* 2.*part. instr.* ubi de clavibus, *cap.* 9. *col.* 10. *vers. Adde quod*, *Arag.* 2.2.*quæst.* 88.*art.* 3. *col.* 18. *vers. Sed dubitabit aliquis*, *Vivaldus candel. Sacram.* 3.*p. cap.* 14. *num.*42. Quod intellige juxta limitationem, quam posui disp. 9. nu.12. Et votum assumendi ordinis sacri. Sic *Enriquez ibidem*, *Manuel eod.* §. 9. *num.* 122. *Vivaldus eodem cap.* 14. *num.* 43. *Beja in suis respons. cas.* 28. *Ludov. Lopez eodem cap.* 9. *col. penult. Vega* 2.*to. summ. cap.* 129. *cas.* 34. Et votum disjunctivum, cujus altera pars est reservata, ut castitatis, vel assumendi ordinis sacri, si nondum pars reservata electa sit. Et votum assumendi habitum Beatarum. Sic *Enriquez ibi*, *Vivald. eodem cap.* 14. *n.* 44. Et votum ingrediendi ordinem militarium, excepto ordine D. Joannis. Quamvis *Ludov. Lopez dict. c.* 9. *ad fin.* teneat votum horum ordinum militarium reservari. Quem reprobavi disp. 9. num. 16. Et votum perseverandi in religione, ut tempore novitiatus liceat ex causa justa egredi. Et tandem potest commutari, ut votum religionis non impleatur tempore præscripto, sed aliquandiu ejus executio differatur. Ratio horum omnium est; Quia reservatio votorum castitatis, & religionis non extenditur ad hos casus, sed in omnibus illis hæc vota subduntur dispensationi Episcopi, (ut late probavi disp. 9. a num. 6. usque ad 19.) unde consequenter juxta regulam traditam num. præcedenti, subdentur quoque commutationi bullæ jubilæi.

5 Secundo deducitur, quid dicendum de voto strictioris religionis, ut vovens ad laxiorem transeat, *Lud. Lop.* 2.*p. instr.* ubi de clavibus *cap.* 9. *ad fin.* refert quemdam DD. sensisse id posse commutari per bullam. Quia in eo potest Episcop. dispensare, (ut probavi disp. 9. n.17.) Sed ipse tenet contrarium. Quod bulla tantum concedat commutationem in temporale belli subsidium. Atque ita hanc commutationem non negaret virtute jubilæi, qui in quodcumque opus pium commutari vota concedit (ut diximus num. 1.) At posse quoque per bullam commutari erogata aliqua eleemosyna in belli subsidium, quæ suppleat eum religionis strictioris excessum, vel additis cum hac eleemosyna aliis operibus piis, quibus supplebitur, est mihi probabilius. Quia (ut nu. 1. probavi) non est necessarium totam commutationem in belli subsidium fieri, sed partem. Quod hic servatur.

6 Tertio deducitur, si Pontificis præscripto sint hæc vota castitatis ac religionis commutata in materiam non reservatam, ut in confessiones menstruas, & alia pietatis opera (ut fieri solet) posse eam materiam non reservatam commutari per bullam vel jubilæum. Quia in ea potest Episcopus dispensare, (ut probavi disp. 9. num. 20.) Nec obstat huic commutationi esse jam semel in eam materiam commutatum, ut bene tradunt *Cordub. sum.q.*150. *Vega* 2. *tom. summ. cap.* 129. *cas.* 110. *Azor lib.* 11. *instit. moral. c.* 18. *q.* 11.

7 Quarto deducitur, vota castitatis emissa a conjugatis posse omnino commutari per bullam vel jubilæum, in iis omnibus casibus, in quibus eo quod deficiant a ratione voti castitatis perfecta, diximus posse in iis dispensare omnino Episcopum, tota disp. 11. Quia in iis casibus non sunt vota absoluta castitatis. Et ideo *Aragon* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 8. *dub. ultim.* ait posse virtute bullæ Cruciatæ commutari votum castitatis emissum ab altero conjuge absque alterius licentia, quod non censeatur votum absolutæ continentiæ.

8 Quinto deducitur, vota pœnalia castitatis, & religionis posse per bullam, & jubilæum commutari, etiam impleta conditione. Quia tunc etiam non sunt reservata, sed Episcopus in eis dispenset. Juxta veriorem sent. quam tenuimus disp. 10. num. 8. Et ita tenent in casu, in quo potest Episcopus in eis dispensare, *Cordub. summ. quæst.* 152. *Metina lib.* 1. *summ. cap.* 14. §. 6. *Perez lib.* 8. *ordin. tit.* 19. *lib.* 37. *ad fin. Alcozer lib. de ludo*, *cap.* 13. *concl.* 9. *Enriq. lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *num.* 6. *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *col.* 8. *versic. Si quis autem quærat*, *Manuel in bulla Cruciata*, §.9. *n.* 124. *Beja in suis respons. cas.* 28. *Ludov. Lop.* 1. *part. instr. c.* 44. *col.* 2. *vers. Si autem sua forma*, & 2. *part.* ubi de clavibus, *cap.* 9. *col.* 12. *Vega* 2. *tom. summ. cap.* 129. *cas.* 10. & 114. Consulto retulihos dicere posse commutari per bullam, casu quo in iis votis potest Episcopus dispensare, Quia aliqui ex illis censent non posse Episcopum dispensare impleta conditione, secus ante impletam: & idem dicunt per bullam: alii vero censent posse ante, & post: & idem dicunt de commutatione per bullam. Et idem dicendum est de his votis, quando sunt vere conditionalia. Quia in iis quoque posse Episcopum adhuc impleta conditione dispensare, diximus disp. 11. num. 13.

9 Sexto deducitur, non esse credendum *Vivaldo in candelab. Sacram.* 3.*p. c.* 14. *n.* 41. dicenti posse virtute bullæ vel jubilæi commutari votum castitatis, quando post illud est matrimonium contractum, ut possit ille vovens petere debitum. Quia in hoc potest Episcopus dispensare (ut diximus disp. 12. num. 4.) Sed ei credendum non est. Quia (ut eo n. 4. diximus) Episcopus non potest in hoc dispensare jure ordinario, & ex natura reservationis, sed est id solius Pontificis: & sola consuetudo jurisdictionem in hoc tribuit, quæ id non obtinuit per bullam aut jubilæum.

10 Septimo deducitur, nec posse per bullam aut jubilæum hæc vota commutari in casibus, in quibus Episcopi possunt in eis dispensare, ratione solius necessitatis, quos retuli disp. 9. nu. 22. & 23. quod probavi lib. 2. disp 40. nu. 9. & ultra DD. ibi relatos tenet *Manuel qu. regul. to.* 1. *q.* 41. *a.* 9. *& q.* 63. *art.* 6.

11 Octavo infertur, quid dicendum sit de juramentis religionis & castitatis. Circa quæ sic distinguendum censeo. Si ea sint pœnalia, aut vere conditionalia, credo posse commutari per bullam aut jubilæum: sicut de similibus votis dixi nu. 8. sive conditio impleta sit, sive non. Ducor, quod habens privilegium commutandi vota, possit similia juramenta facta Deo commutare, (ut juxta veriorem sententiam diximus disp. 2. nu. 18.). Cum ergo per bullam, & jubilæum possint commutari vota pœnalia, & vere conditionalia castitatis & religionis, poterunt quoque similia juramenta. Utrum autem sit dicendum idem, si adsint juramentum & votum simul? dixi disp. 2. num. 23. Quod si ea juramenta sint absoluta, credo non posse commutari virtute bullæ vel jubilæi, etiam in casu, in quo non claudunt in se votum. Quamvis enim disp. 13. num. 5. dixerimus posse in eis Episcopum dispensare, & subinde videatur dicendum juxta regul. nu. 3. traditam posse quoque per dicta bullæ vel jubilæi, privilegia commutari: at re bene inspecta contrarium est dicendum. Quia bulla vel jubilæum nil concedunt circa juramentorum commutationem, sed eam potestatem deduximus ex potestate circa similia vota. Cum ergo nil concedant circa vota similia, nempe absoluta castitatis aut religionis, non est unde colligamus potestatem hanc circa ea juramenta commutanda. Nec obstat regula num. 3. tradita. Quia agit de votis, quæ expressè in bulla, & jubilæo conceduntur, in casibus in quibus subsunt dispensationi Episcopi.

12 Utrum autem possit fieri dicta commutatio votorum, & juramentorum per bullam, & jubilæum, quamvis vovens prius impetrarit dispensationem aut commutationem a Pontifice: vel Pontifex aditus denegarit: vel prius noluerit confessor, sed remiserit ad Pontificem, cui Pœnitens jam se præsentavit: vel

vel quamvis sciatur Pontificem nunquam velle commutare, nisi in quædam certa opera? diximus disp. præced. numero 7. & 8.

13 Demum superfunt aliquæ difficultates dissolvendæ. I. est, an commissarius bullæ Cruciatæ possit dispensare, ad petendum debitum cum conjuge, cui id interdicitur ratione affinitatis, aut cognationis spiritualis contractæ cum altero conjuge? Et quando id impedimentum ex affinitate consurgit, certum est eum posse: ut constat ex facultatibus ipsi concessis in bulla Cruciata Latina. Et bene advertit *Manuel* 1.*tom. sum.*2. *edit. cap.*243. *n.* 12. *& addit. ad bullam*, §. 13. *n.* 17. Quia addit in hoc posteriori loco posse quoque quando impedimentum consurgit ex cognatione spirituali. Ducitur, quod cum concessio dispensandi in impedimento affinitatis sit favorabilis, extendenda est ad hunc casum, qui minor est, ac in eo major dispensandi ratio invenitur. At id non credo. Quia cum sint diversæ rationis impedimenta, nec in verbis concessionis possit alterum comprehendi: non potest concessio unius ad alterum protrahi. Potestas enim dispensandi, quæ favorabilis est, ac extendenda, non protrahitur ad casus, qui sub concessionis verbis non possunt comprehendi; ut dixi disp. 2. num. 2.

14 II. Difficultas est. An concedente Pontifice facultatem confessario, ut commuter quoddam votum, quod quidam emiserat dandi certam eleemosynam quotidie pauperibus, & quia magnam quantitatem debebat, remisit partem, injungens, ut aliam partem tribuat, possit per bullam pars illa debita aut per jubilæum commutari? *Azor lib.* 11. *instit. moral. cap.*18. *quæst.* 11. *fin.* ait posse commutari votum, quod in futurum refertur, at non posse eam pecuniæ partem, quam jussu Pontificis solvere cogitur, remittere ex toto aut ex parte. Atque generaliter tradit non esse idem commutare votum, eo quod votum non sit solutum. Et proinde videtur sentire pœnam ex fractione voti incursam non posse commutari virtute bullæ, aut jubilæi. Quod expresse tenet *Navar. lib.* 3. *cons. tit. de voto, in priori edit. cons.* 35. *per totum, in poster. consil. toto* 32. *Graffis*, 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 5. si quis promisit se non lusurum sub pœna dandi certam eleemosynam, & fregit votum, non poterit commutari eleemosyna illa ex violato voto debita. Probatque *Navar.* Quod hæc privilegia sola voti commutatione indigeant. At aliud est commutare votum, & commutare pœnam ex voti fractione debitam. Et confirm. quia hanc pœnam non produxit votum, sed ejus violatio. Tandem, quia aliud est obligatio ad pœnam incursam ratione violati voti: & aliud est votum ipsum. At dicta privilegia tantum concedunt commutari votum, nulla facta mentione pœnarum incursarum. Sed ut meam sent. explicem, incipiens ab hac posteriori parte, existimo eleemosynam illam debitam virtute illius voti pœnalis, ex ejus violatione: vel etiam ex voto directo, ut si quis promisisset quotidie certam eleemosynam, quam multis diebus non solvit, posse commutari virtute bullæ vel jubilæi, sicut & ipsum votum. Ducor, quod in utroque exemplo pœna debeatur virtute voti, quo ad illam se vovens obligavit: nec in voto illo penali debetur ea pœna ex mera voti fractione, sed ex vi voti, quo vovens se ad illam astrinxit, casu quo violasset votum: atque ita secluso eo voto, eam non deberet. At Pontifex in his privilegiis nullum ex his votis excepit. Nec fuit opus, ut Pontifex in iis privilegiis mentionem faceret pœnarum incursarum ex voti violatione. Quia satis est illas ex mero voto deberi, & Papam concedere facultatem circa vota. Et confirm. quia fere omnes DD. fatentur his temporibus posse virtute bullæ vel jubilæi commutari votum pœnale castitatis & religionis, etiam jam pœna incursa, non tantum quoad votum in posterum, sed etiam quoad pœnam jam ex voti violatione debitam (ut nu. 8. diximus) & qui id negant, non inniruntur pœnæ jam incursæ, sed jam esse votum absolutum rei reservatæ, nempe castitatis aut religionis, eos ducit ad negandam hanc potestatem. Nil ergo refert, jam pœnam pecuniariam debitam esse ex vi voti transgressione, ut ob id negemus potestatem hanc commutandi, Deinde quia licet aliud sit votum commutare, & pecunias jam debitas ex voto ad hunc sensum, ut ex sola voti commutatione aut dispensatione, non censeantur illæ pecuniæ commutatæ aut remissæ, quia ea dispensatio aut commutatio absolute facta, intelligitur de voti obligatione in posterum, at non sunt vere diversa quoad potestatem commutandi aut dispensandi absolute concessam circa vota. Cum enim eadem sit voti obligatio quoad pecunias jam debitas ex fractione voti, vel debendas, ea potestas ad utrumque extendit. Quoad priorem autem partem, quando nempe Papa remisit solam pecuniæ partem debitam, injungens, ut reliquam solveret: sic distinguendum est, si confessarius ille limitatam habuit potestatem a Pontifice commutandi id votum, facta relaxatione partis eleemosynæ debitæ, per ipsum Papam, manifestum est non posse confessarium, virtute ejus facultatis aliquid disponere circa pœnam eleemosynæ debitæ, jussæ per Pontif. solvi. Quia fuit commissio limitata. Insuper nullus inferior etiam Episcopus poterit circa illam dispensare, nisi ex nova causa. Juxta dicta disp. præc. num. 5. quia jam Pontifex denegavit hujc dispensationem circa reliquam partem pœnæ. At credo posse commutari facultate ordinaria, aut per bullam vel jubilæum: imo si esset in manifeste melius, per ipsum-met voventem, propria auctoritate. Quia Pontifex non denegavit commutationem, sed remissionem: nec præcepto illo suo novum vinculum implendæ illius pœnæ imposuit, sed noluit in vinculo voti dispensare. Remanet ergo pœna illa tanquam ex voto debita, subjecta commutationi, habentis absolutam facultatem ordinariam, vel ex privilegio commutandi vota. Et cum solus Deus, cui votum factum est, sit creditor illius eleemosynæ, poterit ea commutari ab ipsomet vovente in rem manifeste Deo gratiorem: retenta veriori opinione tenente per hæc vota non acquiri jus parti, in cujus utilitatem cedere deberet eleemosyna, antequam ipsi inrimentur, sed soli Deo.

15 III. Difficultas est, an tempore quo durat jubilæus, aut bulla possit confessarius votum commutare, dicendo sic: Commuto tibi ex nunc hoc votum in id, quod quidam vir doctus judicarit commutandum? Resp. affirmative, & posse confessarium, transacto tempore jubilæi aut bullæ, materiam determinare. Quia vir doctus non commutat, sed tantum declarat materiam, in quam confessarius vere commutavit. Hic enim tanquam delegatus non potest subdelegare. Sic ait in quodam simili *Navar. sum. c.* 26. *n.* 13. Et in propriis terminis docent *Manuel addit. ad bullam*, §.9.*n.*115. *Vivaldus candel. Sacram.*3.*p.c.*14.*n.*40. *Graffis* 1.*part.decis.l.*4.*c.*15.*n.*47. Subdit *Manuel ibid.* hunc fore reum voti violati, si illi contraveniat, antequam vir doctus declaret materiam. Quod commutationis executio sit in pendenti, donec vir doctus determinet materiam. Sic dum Papa dispensat, committens Ordinario vel confessori examen veritatis precum reus hic voti esset, illi contraveniens, antequam illi declarent. Sed hoc additum non credo: exiitimo enim hunc non fore reum voti, contraveniendo illi, ante declarationem illius viri docti. Neque est simile exemplum adductum. Quia animus Pontificis non est omnino dispensare, sed vel delegare Ordinario aut confessori, ut dispenset, veritate precum præcognita: vel saltem dispensationis vim suspendere usque ad id tempus. Qui animus vel inde colligitur: quia ad recte dispensandum desideratur præcognitio veritatis precum. At non ea mens confessoris est. Quia nec potest delegare: nec aliquod causæ examen præmitti necesse est, ut ideo dicamus confessarii commutationem esse in pendenti. Sed ipse re vera commutat: ac subinde obligationem voti extinguit circa materiam prius promissam, eam transferens in materiam, quam vir doctus subrogandam judicarit.

16 IV. Difficultas, an transacto jubilæi tempore possint commutari vota ante illud emissa, nec tunc commutata? Quod magni momenti est scire, propter vota peregrinationis Jerosolymitanæ, Romanæ, ac Compostellanæ, quæ commutari in quodcumque opus pium concedit, quæ alias soli Pontifici reservantur. Et contingit voventem obtinuisse postea jubilæum, nec tunc petiisse dispensationem. Supponenda autem est clausula jubilæi. Prius enim tempus præscribit, intra quod diligentiæ sunt exequendæ, ad illum comparandum: & tunc dicit, *Prima hebdomada, vel altera subsequenti a die publicationis*. At dum descendit ad indulgentias concessas, sic ait absque limitatione aliqua temporis. *Concedimus ut possint hac vice tantum idoneos presb. approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licite valeant ipsos absolvere, &c. ac vota commutare*, &c. Et quidem si confessarius tempore jubilæi commutavit omnia pœnitentis vota, quæ virtute illius concedunturr: (quod potest facere commutando ex tunc, in id quod ipse vel aliud judicarit, quando pœnitens voti emissi memor fuerit: juxta n. præc. dicta:) non est dubium quin reservatio tollatur. Quia jam tempore habili vota commutata sunt, sola materiæ subrogandæ declaratione in posterum relicta, (ut nu. præc probavi.) Atque ita in simili loquentes de absolutione generali a censuris reservatis, & dispensatione in irregularitatibus tradunt *Rosella v. Confessio* 2.*num.*9. *Angel.v. Confessio* 1.*nu.*12. *Sylv.v. Confessio* 1.*qu.*4. *Navar. summ.c.*16.*n.*12. *Majolus lib.*4. *de irreg.c.*51. *num.*6. *Enriq. lib.* 14. *de irreg. c* 17.*n.*4 *fin. Sayro the sauro casuum*, r.1. *l.*7. *c.*14. *num.*8. & 9. ubi tradunt generalem absolutionem aut dispensationem virtute privilegii factam extendi ad oblita: ac proinde quandocumque postea in mentem venerit, jam cessare reservationem: nec esse amplius necessariam dispensationem in illis regularitatibus oblitis. Quare colligunt fanum semper consilium esse, ut tempore, quo jubilæus, aut aliud privilegium durat, faciant pœnitentes secum dispensari, & se absolvi, quantum extenditur potestas confessoris, ut sic gaudeant dicto beneficio quoad oblita.

17 Major difficultas est, quando ea commutatio generalis non præcessit, sed aut nulla vota commutata sunt, aut ea sola, quæ pœnitens confessori detegit. Et quidem *Rosel. Sylv. Sayro nu. præc. alleg.* loquentes de absolutione a reservatis, & dispensatione in irregularitatibus, dicunt adeundum esse superiorem, cujus erat ea absolutio, & dispensatio, quoties tempore jubilæi non præmissa est generalis absolutio aut dispensatio. Et potest probari. Quia cum jam tempus jubilæi transactum sit, cessavit id privilegium pro eo solo tempore concessum. Verum dicendum est, posse transacto jubilæi tempore commutari vota obligata, quæ tempore jubilæi commutari poterant: ac dispensari in irregularitatibus, & absolutionem a reservatis impendi. Quod docent *Stunica quæst.* 5. *de voto*, *num.* 39. *Enriq. lib.* 7. *de indulg.* c. 11. *nu.* 4. *Emm. Sa summ.*